IDEA
ELOQUENTIÆ
Sive ut Vulgo vocant
Rhetoricæ.

De Periodis, Tropis, Figuris Verborum, Figuris Sententiarum & integræ Orationis Partibus Methodice differens.

Ac insuper docens usum, tum Periodos, tum Figuras, tum denique integram Orationem, juxta artis Oratoriæ regulas Componendi.

Didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Authore JOANNE *de* KERHUEL.
S. E. M.

LONDINI.
Venalis extat apud *S. Lowndes*,
E regione *Exeter House* 1673.

ILLUSTRI ac GENEROSO
DOMINO
D. *HENEAGE FINCH*
EQUITI AURATO,
Serenissimi Magnæ Britanniæ,
REGIS
ATORNATO GENERALI.

Vir Amplissime,

DUæ sunt artes quæ possunt locare Hominem in amplissimo gradu dignitatis, una ducis exercitus, altera oratoris boni; & sane vix inter Cæteras aliam inveneris cui par ac prædictis honor deberi videatur; ratio in promptu est; gloria enim ex arduis depromitur, ita ut in magnis vel voluisse solummodo sat esse asserat adagium

gium, quasi apud omnes in Confesso esset solam rei suscipiendæ arduitatem, satis superque susceptorem gloria circunfundere, etiam non ex voto cadente successu. Nunc autem ubi quæso difficultas occurrit major? quam ubi vitæ, & honoris qui cuivis vita multo charior esse debet, præsentissimum imminet discrimen, quale incumbere Citra dubium est, & exercitus principi, & oratori, itaque cum non Oratorem modo, sed & Philosophum alloquar, supervacaneum prorsus esse judico hanc e meis præmissis necessario sequuturam elicere Conclusionem, unam scilicet e duabus ad summæ gloriæ assequendum apicem, viam esse artis Oratoriæ studium.

Hoc igitur duntaxat subnectam, nimirum cum liberaliter educati, ac

excel-

excellentibus ingeniis præditi excitentur ſpe gloriæ, immo vero cum etiam optimi quique ducantur laudis ſtudio, non ingratam me hujusce legitimæ gloriæ avidis navaturum operam credidi, ſi ipſorum gratia, ideam practicæ Eloquentiæ, nec non Methodicæ Rhetoricæ ſpecimen Elucubrare, ac demum in lucem edere animum induxerim; quod & ideo feci libenter, & libentiſsime nunc typis Conſigno.

Jam vero illuſtriſsime Domine, neutiquam dubitandus hæſit animus cujus ſub auſpicio Lucem adiret hæc præ omnibus longe nobiliſsima ars, ipſamet enim ſua ſponte (quod ſalva tua dignitate dixerim) ipſamet inquam ſua ſponte quaſi de te meritiſsima tuum protinus

exultabunda sibi designavit patrocinium, non aliam me sibi notare sedem, nedum proponere passa est; fisa firmissime non alibi fore gratiosius hospitium advenæ Eloquentiæ quam apud facundissimum totius Britannici fori & soli oratorem. Ipsius tam avido & justo nutui Confestim pari exultatione morem gessi, teque quadam cum illa æmulatione hujusce liberalissimæ artis benignum adstare patronum, ea qua decet Reverentia submisse deprecor cum Patrocinium *implorem, res videretur & esset sane prorsus ludicra, ideam hanc cujusdam tuorum quæ dudum sensi, & adhuc sentio beneficiorum, gratitudinis insignire titulo, hanc quia parem non possum retribuere, ex animo tibi obtestor ab eo qui plus quam abunde par*

par eſt benefacta benefactoribus reddere centuplo.

Non eſt igitur generoſiſsime domine, non eſt inquam ullius grati nota vel obſes animi hoc literarium munus; quin immo magnus erit multis jam receptis beneficiis acceſſus, ſi ideam hanc (ut a tua mihi audeo polliceri benignitate) non dedigneris tuo decorare patrocinio; ſicque firmioribus adhuc detinebor vinculis ſemper & ubique apparere,

Illuſtris tuæ Generoſitatis

Humilis Cultor

Joannes de Kerhuel.

S. E. M.

par est beneficia benefactoribus reddere centuplo.

Non est igitur generosissime domine, non est ingenium ullius grati nota vel obses animi hoc literarium munus; quin immo magnus erit multis jam receptis beneficiis accessus, si ideam hanc (ut a tua mihi audeo polliceri benignitate) non dedignaveris tuo decorare patrocinio; sicque similioribus adhuc detinebor vinculis semper & ubique apparere,

Illustris tuæ Generositatis

Humilis Cultor

Joannes de Kerhuel.

S. E. M.

IDEA ELOQUENTIÆ

Sive ut Vulgo Vocant

RHETORICÆ.

Præfatio.

Fons rectæ intelligentiæ est vera rei definitio, & error in definitione fit multarum Confusionum origo. Cum igitur totus primatus, vel principium rectè intelligendi in definitione Consistat, ingredienti in Rhetoricam artis oratoriæ Candidato providenda est primùm ejus definitio. Quæ sic à peritioribus magistris instruitur.

Rhetorica est ars benè, ornatéque differendi sive voce, sive scripto.

Ex prædicta hac definitione præcognita quædam, sive ut à Græcis vocantur προγνώσματα sua se spon-

te nobis tractanda offerunt, nec immeritò quidem, neque extra usum in aliis disciplinis tritum ac familiarem.

Cum enim artium & disciplinarum tractationi, ordinariè professores talium artium, præmittant quasi præfationis Loco, Capita quædam de earum genere, objecto, fine, partibus, mutuâ ab invicem divisione, de dignitate insuper, antiquitate & utilitate, quæ ideo præcognita sive προλεγόμενα *nuncupantur; idem etiam in aditu Limineque Rhetoricæ mihi censui observandum, nec denegari justè debet, arti inter alias præclarissimæ.*

PROLEGOMENA

RHETORICÆ.

PErstringo itaque quædam duntaxat, de utilitate ejus, Dignitate & Antiquitate nihil (brevitatis studio) dicam, nonnulla tantùm quæ ab ejus fluunt definitione, & ad dilucidiorem illius intelligentiam non parum Conducunt, præfari Libet, ac primò quidem ejus genus, nimirum *Rhetorica est ars,* quod vel ex ipsamet artis definitione satis superque patet. Ars enim ex *Aristotele lib. Eth. Cap.* 4°. est ἕξις μετὰ λόγου ποιητική hoc est, habitus cum rectâ ratione effectivus; & proinde cum Rhetorica aliquid efficiat Extra mentem Rhetoris sive relinquat opus externum post se, periodos scilicet, Figuras, Orationes Conscriptas à Rhetore, sequitur sane eam esse artem.

Quod adhuc sic insinuatur.

Unde quæso accidit hominem in foro judicia-

rio, sive in aliquo publico cætu Loquentem Oleum & Operam perdere incassum & sine ullo fructu causas suas dicere, alium autem fœliciter succedere, propositum sibi finem assequi, Auditorum animos Commovendo, Litem vincendo; denique quidquid fermè intendit, auditoribus persuadendo, sane hæc differentia tam varii successûs videtur ab hac unica ratione procedere, quod ille temere, nullâ ratione, nullâ methodo servatâ loquatur; hic verò Callidius, prudentiusve se gerat, adhibendo scilicet ad sui finis assequutionem, certorum mediorum, certæ cujusdam methodi usum quæ adhibitio, vel usus Methodi Certæ, certorumque mediorum ad finem Conducentium, maxima sane est ars; & Consequenter dum Rhetorica sit doctrina utendi tali Methodo, talibusque medijs, non sine magnâ ratione ars denominatur, & est, justeque legitimum ejus genus dicimus esse artem.

Hoc Solummodo ad Nobilissimæ hujus artis Gloriam observare Convenit, eam videlicet non esse artem Mechanicam, sed Spiritualem, cujus opera licet Externa, non tamen ut opera artis Mechanicæ, ita sensibus palpantur externis, sed efformatione potius intellectionis Conficiuntur, & hæc de genere Rhetoricæ.

Quod genus ad certam speciem restringitur, per hanc differentiam supradictam in definitione Rhetoricæ; his verbis,

Rhetorica est ars bene ornateque differendi sive voce, sive Scripto.

Hac enim differentia notatur primo Rhetoricæ objectum, quod est discursus, sive Oratio circa quam Construendam occupatur Rhetorica; sed ita notatur ut clarè appareat eam circa orationem longè diverso modo versari, quam versatur vel *Grammatica*, vel *Logica*, fateor enim harum duarum artium objectum esse quoque orationem, nam utraque circa eam versatur, sed, ut dixi

 alid

alio plane modo quam Rhetorica; Etenim Grammatica est Ars Congrue tantum Sermocinandi & scribendi; nihilque aliud in oratione sua Curat Grammaticus, quam ut Congrua sit, & solæcismorum expers; unde sic vulgo definitur Grammatica;

Est Ars quæ pure & Emendate loquendi scribendique rationem Continet.

Logica autem hoc unum spectat in Oratione ut sit distincta, minimeque Ambigua, at vero *Rhetorica* hoc præcipue intendit, ut scilicet oratio sit affectuosa sit ornata, sit Elegans, quem ad finem optimis sententiis, verbisque lectissimis utitur quantum potest Rhetor.

Et sane perelegans ac apprime Composita debet esse Rhetoris oratio, utpote quæ tam sublimem nec non difficilem habeat sibi propositum finem; qualis est movere affectus, hortari ad virtutes, dehortari a vitiis auditorum (ut ita dicam) præesse animis, illisque quidquid ab oratore intenditur, quasi velint nolint persuadere.

Unde etiam patet *Rhetoricæ* finem longe a fine vel *Grammaticæ*, vel *Logicæ* differre, cum *Grammaticæ* finis sit tantum Congrue Loqui vel scribere, *Logicæ* vero bene intelligere.

Hinc quoque innotescit *Rhetoricam* esse speciale instrumentum *Philosophiæ* non quidem *Theoreticæ*, sed *Practicæ* tantum. Cum enim *Rhetorica* non tradat præcepta dirigendi, sed movendi affectus; ad *Philosophiam Theoreticam*, non multum pertinet, sed tota dirigitur ad inserviendum *Practicæ*.

Nunc vero ad assequendum hunc haud parum difficilem scopum persuadendi animis auditorum, theses suas & hypotheses, themata denique omnia quæ tractanda incumbunt oratori, adhibet *Rhetorica* varios quosdam verborum circuitus eleganter & magna arte Elaboratos, certaque quasi symme-

triâ, & membrorum justâ proportione dispositos, quos vocamus periodos, adhibet magnam figurarum catervam, adhibet denique orationes integras, diversis partibus, diversoque dicendi genere tum claritatis, tum rerum tractandarum gratia Elucubratas, recteque dispositas, quæ omnia integrantes *Rhetoricæ* partes possunt nuncupari, & ejus Corpus efformant, planeque absolvunt, ac proinde harum partium recta Cognitio & usus, insignem perfectumque reddent oratorem, Eas igitur sic ordine, clareque perscrutemur, ac primo quidem Loco *Periodum*, quasi primam *Rhetoricæ* partem integralem.

Prima RHETORICÆ *Pars.*

CAPUT PRIMUM.

De Periodo in Genere.

AD perfectam *Periodi* notitiam, operæ pretium est nosce primò ejus naturam, definitionem, divisionem, membra, Copulas sive nexus, & ornamenta.

Quoad naturam spectat, in hoc Consistit, quod *sit apta & numerosa verborum Congeries, mensura quâdam & magnâ Concinnitate disposita, & quæ insuper rei de quâ tractat sensum absolvit, sive Concludit; ita ut hac verborum Congerie totus aliquis sensus Contineatur, adeoque plene auditori manifestetur, ut ad talis rei notitiam necnon Comprehensionem* nihil amplius desideret auditor.

Hac Similitudine rem dilucido; *Homo est Animal.*

His Verbis sensus integer Continetur nimirum hominem esse animal, ita ut in hac Sententiâ sive propositione satisfiat abundè intellectui, dum illi certa aliqua & finita notitia de Homine affirmatur; idem plane Exequitur *Periodus*, Certum scilicet sensum & finitum auditori ita declarat, ut audita perceptaque Periodo quietus maneat ac plene satisfactus auditoris intellectus, & hoc cum simplici propositione Commune habet Periodus, sed in hoc ab ea differt.

Primò propositio est sententia in quâ aliquod prædicatum de subjecto affirmatur, at *Periodus* est Compages quædam & Combinatio multarum propositionum aptâ Connexione & unione inter se Compactarum.

Secundò in propositione ponuntur tantùm Expressè tres termini, scilicet, Subjectum, Prædicatum, & Cópulá, ut Homo est Animal, nix est alba; in *Periodo* verò Cujusque propositionis membra ornantur Epithetis variis, & amplificationis, delectationisque gratiâ multis aliis selectis vocibus, ut Interjectionibus, Adverbiis, Copulis, Clausulis illustrantur; unde accidit in periodo ad unius sensus manifestationem varias propositiones longe latèque deductas simul Combinari, quod non tamen inutiliter neque superfluè fit, quia hoc modo & hac inventione Combinandi ad invicem varias propositiones ad unam duntaxat rem significandam, recreat non parum orator auditorum animos, eorumque acuit attentionem; ac proinde non frustra facit per plura, quod posset facere per pauciora, hoc est, non sine fructu nec inaniter adhibet varias propositiones ad id significandum, quod vel unicâ posset indicare propositione, & hæc est periodi natura quæ hac definitione Continetur.

Periodus

Periodus est ornatus quidam verborum ambitus, certis quibusdam membris ita aptè & Concinne distinctus, ut tanquam in orbe inclusa Currat oratio, totum aliquem sensum continuans, comprehendens, circumscribens & finiens.

Unde etiam *Periodus* vocatur à *Tullio* non tantùm ambitus aut Circuitus verborum, sed & Comprehensio, Continuatio, Circumscriptio.

Hac definitione natura *Periodi* supra explicata, vestris adbuc oculis satis clarè exponitur, quare illam ab omnibus sufficienter jam perceptam non moror fusius explanare, & ad ejus divisionem pergo.

Caput II.

De Divisione Periodi.

PEriodus igitur multiplex est, sed eas inter quæ sunt majoris momenti, quæque non vulgari arte. Elaborari indigent ; ac consequenter summè ornant orationem, peculiareque artis oratoriæ Candidati exposcunt studium, tres præcipue recensentur, prima, est bimembris, secunda, trimembris, tertia, quadrimembris.

Caput III.

De Bimembri Periodo.

Bimembris Periodus ea est quæ duobus Cohæret Membris, atque componitur ubi observandum omnem Periodum ad Minimùm bimembrem esse, cum enim Membrum Periodi non aliud sonet, quàm integram Propositionem Constantem tribus terminis principalibus, subjecto scilicet, prædicato & Copula, aliisque interjectitiis partibus, ut adverbiis, Nexibus, Epithetis quæ tamen ad essentiam propositionis non pertinent, nec partes ejus integrales reputantur: Cumque *Periodus* sit (ut dixi) quædam propositionum artificiosa Combinatio & reduplicatio, necesse plane est omnem *Periodum* ad minimùm bimembrem esse.

Nunc autem partes *Periodi* duæ sunt, prima vocatur græcâ voce προτασις à verbo προτείνω quod significat prætendo, obtendo, quia Conclusioni in periodo instar scuti prætenditur & obtenditur protasis, ne possit ab auditore in dubium vocari, vel negari veritas ac energia Periodi.

Secunda pars periodi vocatur græco quoque nomine ἀπόδοσις Latinè sonat redditio, est enim quoddam quasi schema jucundissimum, quo præcedenti membro, vel etiam pluribus in προτάσει Contentis, totidem membra in ἀποδόσει respondent.

Et hæ sunt Periodi partes duæ, quibus omnis Constat Periodus, sive bimembris sit, sive trimembris, aut quadrimembris; ita ut in bimembri periodo quam nunc tractandam habemus, protasis unum Membrum Contineat, Apodosis aliud.

Subjicio

Subjicio exemplum ex hac sentententiâ formatum & extructum.

Angliæ Periclitanti succurret CAROLUS *Secundus.*

Qui ex hac sententiâ bimembrem formare volet Periodum, eum oportet prius in protasi, sive primâ parte periodi Componere membrum unum Angliæ discrimen & periclitationem attingens, ac deinde in Apodosi Contexere membrum aliud de certo auxilio illi à vigilantissimo Rege Subministrabundo; sic aucta & amplificata sententia in justam periodum bimembrem Excrescet, ad hunc autem vel similem modum debet amplificari.

Si *Angliæ* Charissimæ patriæ tùm suo situ, tùm feraci soli naturâ, Cælique benignitate, nulli postponendæ regioni, Cujuspiam Calamitatis discrimen, vel alienigenarum aggressione, vel ipsorummet indigenarum culpâ & hostili animo incumbat nonne *Carolus Secundus* vigilantissimus ejus imperator, pacisque publicæ studiosissimus princeps, tale discrimen ab ejus Capite suâ curâ, suoque studio facile averter.

Hic habetis non inelegantem bimembrem *Periodum*, oratoris opere ac artis Methodo è quatuor duntaxat vocibus ductam & satis copiosè amplificatam, nam primo quidem in protasi quod *Angliæ* potest imminere Calamitatis discrimen jucundè & ornatè expandit; in apodosi vero certum illi adfore subsidium, a publicæ saluti studiosissimo *Rege* asserit. Tali Methodo & cum quælibet aliæ Periodi debent ab Oratore formari. Alterum subministro Exemplum.

Deus est Colendus.

Cum *Deum* optimum Maximum Orbis Univer-

si Conditorem; omnisque bonorum generis cunctis Animalibus, sed ipsi praecipue Homini, inexaustam esse Originem apud omnes sit in Confesso. Illum nos quoque summâ debere prosequi veneratione, nec non totis Colere viribus, nullus sanae mentis Compos potest non Confiteri.

Quod si Eloquentiae Candidatus non latino solùm idiomate, sed & vernaculo, vel quovis alio velit Periodos Construere, easdem dummodo servet normas, poterit pari equidem cùm laude & exitu talia quoque artis oratoriae Edere opera, in illâ quam sibi proposuerit linguâ. Et ecce bimembrem Periodum.

CAPUT IV.

De Trimembri Periodo.

PEriodus *Trimembris* est quae tria Continet membra, in duabus *Periodi* partibus ita disposita, ut sive protasis unum membrum Contineat & apodosis duo, vel vice versâ apodosis membrum unum, & protasis duo.

Sic Exempla accipite ex praedictis sententiis etiam desumpta.

Angliae Periclitanti succurret CAROLUS *Secundus.*

Si insularum felicissima nunc Anglia, exortâ quapiam bellici furoris procellâ adeo periculosè jactetur, ut aestuante in dies singulos magis ac magis tempestatis vi, praesentissimum illi videatur imminere naufragium; qui illius sapientissime moderatur clavum Carolus Secundus, hoc omen ab ipsius Capite facile declinabit.

Hac

Hae in *Periodo* videtis duo protasim Continere membra, & unum duntaxat apodosi Comprehendi; sed Contrarium in sequenti videamus hoc modo.

Si *Anglia* Britannici Populi Nobilissima sedes, in extremum imminentis ruinæ adducatur discrimen, nonne Pater Patriæ *Carolus Secundus*, tot tantasque ad ejus Conservationem adhibebit curas; ut quod impendebat Capiti ejus Periculum, favente auspicio potentissimi *numinis* procul depellat atque propulset.

Ad aliam nunc Pergamus Sententiam.

Deus est Colendus.

Cum *Deus* tanta in Hominem Benignitate, tantaque bonorum omnium (ut ita dicam) effusione utatur; ut non terrestria solùm ad victum vestitumque hoc in Mundo necessaria, sed & spiritualia quoque quæ ad æternam ejus Conducunt Beatitudinem abunde Largiatur; illum ab Homine summâ afficiendum veneratione, nec non totis Colendum viribus, longè justissimum est.

Hâc quoque in *Periodo* duo protasis continet membra, & apodosis unum, sed Contrarium in sequenti habetur hoc modo.

Cum cuncta Hominis bona tùm temporalia, tùm æterna, illi à gratuitâ Dei Benignitate adveniant; nihil in hac vitâ habere charius nec debet, nec justè potest Homo, quàm ut tot tantorumque bonorum authorem *Deum* ritè veneretur & Colat.

Et hæc est Trimembris *Periodus*.

CAPUT

CAPUT V.

De Periodo Quadrimembri.

NUnc verò quadrimembris Periodus Cæterarum quasi Princeps & Regina ea est, cujus quatuor sunt membra, duobus videlicet in Protasi, totidemque in Apodosi dispositis, ut hoc patet Exemplo.

Angliæ Periclitanti succurret CAROLUS *Secundus.*

Si quæ nunc Sapientissimi *Monarchæ* auspiciis prosperè beatèque regitur *Anglia*, excitatis derepente turbis ita percellatur, eòque deveniat, ut in certissimam perniciem ruere videatur Respublica, seque ipsam præcipitem agere; nonne *Carolus Secundus* cujus omnes Curæ in Commissæ à *Deo* Patriæ Salutem Consumuntur, tot ad illius Conservationem impendet Labores, tot studia, tantamque adhibebit vigilantiam, ut nutantem & quasi ruentem in exitium suum *Rempublicam* sit non fulturus modo, sed & plane in Pristinum statum erecturus.

Eandem *Periodum* in Secunda de *Deo* Colendo Sententia sic efformo.

Deus est Colendus.

Cum tot sint divini erga Hominem Amoris τεκμήρια, tot tantaque dona, ut nullus unquam pater nec plura nec pretiosiora filio impertierit; Ea quoque Hominis erga *Deum* debet esse gratitudo, ut eum quâ potest Religione, quâ potest Pietate, summe veneretur & Colat

Et

Et hæc est quadrimembris Periodus; sicque habetis Concisè sed sufficienter satis descriptas Periodi præcipuas divisiones ac species, bimembrem videlicet, trimembrem & quadrimembrem.

Caput VI.

De Periodo Incircumscripta.

Est quidem præterea aliud genus prolixioris *Periodi* membris multo pluribus dispositæ; sed non ita distinctæ, nec ullâ inter membra servatâ Concinnitate, nullo Consensu mutuo, vel Symmetriâ.

Hoc autem genus *Periodi* Conficitur cùm orator circumscriptè non loquitur, hoc est, cùm ab initio ad finem usque quasi in orbem non Includit *Periodum* suam donec perfectis, sibique mutuo Consensu respondentibus propositionibus absolverit sensum, sed membratim duntaxat Contexit orationem & declarat sententiam nullâ membrorum ab invicem intentâ dependentiâ.

Unde in hoc differt hocce genus *Periodi* à tribus prioribus prædictis, quod in illis mutuus sit membrorum intuitus, certúsque numerus; in hoc verò sint quidem membra, (Cum membris aliquot omnis *Periodus* semper Constet) sed nullo mutuo Consensu sibi respondentia, nec ad ullum certum numerum astricta; in hoc enim *Periodi* genere liberè expatiatur Orator sine ullis repagulis, sine ullis Circumscriptis, accumulat enim quot quot vult membra donec sensum Concluserit, & ideo tunc dicitur *membratim* dicere; quia nullâ Circumscriptione, nullo membrorum mutuo Consensu

sensu vel certo numero in dicendo utitur; & hinc est quod hoc *Periodi* genus *incircumscripta* vocetur *Periodus*. Cujus nobis exemplum suppeditat Cicero in Oratione pro Milone his verbis.

Itaque quando illius postea sicca illa, quam, à Catilina acceperat, conquievit, hæc intentata nobis est, huic ego vos objici, pro me non sum passus, hæc insidiata Pompeio est, hæc ipsa appiam viam Monumentum sui nominis nece Papirii cruentavit.

Hic videtis a Cicerone Construi quandam *Periodi* speciem, sed nullis sibi mutuò respondentibus membris Compositam, solis duntaxat sententiis ab invicem independentibus Constantem. Et hoc vocatur membratim dicere vel incircumscriptè.

CAPUT VII.

De alio Periodi *Genere quo incisim loquitur Orator.*

Superest adhuc tertium quoddam genus *Periodi*, quo non *Circumscriptè*, non *Membratim*, sed *incisim* Loquitur Orator, ad cujus generis dicendi intelligentiam notandum est, *incisum*, esse sensum aliquem non magna verborum Copiâ declaratum, sed paucissimis verbis & sæpe unico conclusum. Unde patet incisum, non esse membrum integrum, aut sententiam Completam; sed quandam quasi partem membri; & Sententiæ; ejusmodi inciso utitur Cicero cum ait.

Domus tibi deerat at habebas, pecunia suppetebat, at egebas.

Ubi

Ubi incisa sunt quatuor, sic adhuc testes date; volumus.

Ubi τὸ volumus se solo incisum est Græci ejusmodi incisa schemata vocant, gallisque oratoribus incisim dicere idem est ac, *haranguer par parolles entrecoupeès.* Unde apparet tum oratorem *incisim* dicere, cum in singulis incisis insistit & finit ejus Oratio, sive sensus quem vult auditoribus patefacere; unicum adhuc profero *Ciceronis* exemplum, in *Catilnam* invectiva quartâ.

Tenentur Literæ, signa, manus, denique unius cujusque Confessio.

Et sic habetis triplex *Periodorum* genus, circumscriptum scilicet quod bimembres, trimembres, & quadrimembres Continet *Periodos* ac docet efformare, genus incircumscriptum, & genus incisum. Quo triplici *Peridiorum* genere ad Orationem variandam & ornandam, potest ac debet uti Orator. Nunc autem visâ *Periodi* natura & definitione, perspectâque ejus multiplici divisione, ac membrorum varietate, restat duntaxat Consideratio ejus nexuum & Copularum.

CAPUT VIII.

De Periodi Copulis, Nexibus vel juncturis.

NExus hi, Copulæve sive juncturæ non vulgaria sane sunt *Periodorum* ornamenta de quibus hoc, notandum; nimirum nexus, juncturas sive Copulas quæ *Periodi* ingrediuntur Constitutionem, esse quasi animam totius *Periodi*, ut enim remotâ animâ, Corpus ipsum jacet immobile, sic ablatis à *Periodo* nexibus, copulis

copulis, vel juncturis, ipsa remanet quasi Exanimis, immobilisque *Periodus*, nec ullâ Concinnitate potest incedere, ac proinde ejus anima & forma censeri non incongrue possunt. Illi autem nexus, copulæ vel juncturæ *Periodi* sunt sequentes particulæ.

Si, cùm, quandoquidem, nonne, numquid, quemadmodum, sic etiam, sic quoque, verum enim vero, quisquæso, quis amabo vos, quidem, equidem, sane, certe, enim, etenim, tùm, cùm, cùm tum; æque ac, perinde ac, statim ac, quasi, quemadmodum, toties quoties, num vero, jam jam, verum tamen, attamen, tametsi, quousque, eousque, antequam, postquam, priusquam, donec, tandem aliquando, ut, non, nec non, quantùm, tantùm; qualis talis, quàm, tàm, & aliæ quam plurimæ voculæ ac particulæ, quæ amplificandæ, necnon ornandæ *Periodo* Conducunt non Mediocriter, quarumque proinde cognitio ac expeditus usus plane oratori debet esse ad manum, ut prompte ac levi operâ *Periodos* possit de promere, earumque connectere membra. Hæ enim copulæ, quidam sunt quasi Cardines quibus tota non solummodo *Periodus* sed ipsamet volvitur integra *Oratio*, sunt præterea veneres ac formæ quibus omissis, non secus ac ademptâ pulchrâ de corpore facie, non decus in reliquo corpore trúncus habet, earum denique expeditus usus tanto compendio est oratori ut vel unius duntaxat defectus illum aliquando plus irretiat ac re moretur quàm integrarum quandoque *Periodorum* Constructio, quare perquam Consultum duco cuivis artis oratoriæ studioso eas callere ad unguem, sibique Conciliare quàm familiarissimas.

Et hæc de primâ parte Rhetoricæ, de *Periodis* inquam, dicta sufficiant, quas ex ordine cum tropi sive Metaphoræ sequantur de iis quæ scienda sunt, hac secunda parte videamus, hoc modo.

Pars

Pars Secunda.

RHETORICÆ.

De Tropis, ac Metaphoris in Arte Oratoria Usitatis.

Præfatio.

NOn desunt qui dicunt Tropos vel Metaphoras quandam intellectui objicere obscuritatem, quod videlicet eum distrahant ad duas Cogitationes, ejus scilicet rei, unde vox translata est, & ejus ad quam transfertur; unde inferunt Tropis & Metaphoris non esse utendum, quoties accuratè ac clarè docere volumus, sed sine Causâ & jure hoc ab illis infertur, sunt enim Tropi non reverâ tenebræ, sed magna orationis Lumina, non peritis modo artis oratoriæ, sed quibuscunque vel minimâ intelligendi facultate, minimoque ingenii acumine præditis; quinimmò auditorem Summè delectant; cum enim auditorum animi Similitudinibus Mirificè gaudeant, ac Tropi nec non Metaphoræ sint quædam quasi similitudines ad unum Contractæ verbum, vel in uno Contenta verbo; non potest quin auditores non mediocri afficiant delectatione.

Nunc autem Tropi hi sunt numero undecim quos sic succinctè enucleo.

Caput Primum.

De Metaphora.

Qui primus, Tropos inter, Locus debetur meritò, Metaphora est, variis insignita nominibus, Græci enim Metaphoram vel Tropum, Latini Translationem nuncupant; hujus Tropi usus in oratione est frequentissimus, ac proinde facilè ab artis oratoriæ studiosis potest animadverti tùm in lectione, tùm in orationum auscultatione.

Metaphora autem sive translatio, est mutatio significationis nativæ & propriæ in alienam. Vel est traductio vocis de sua propriâ significatione ad impropriam.

Ex Quintiliano Metaphora est dictio ab eo loco in quo propria est, translata in locum eum in quo propria non est, unde patet, Metaphoram tùm fieri, cùm nomen aut verbum propter similitudinem aliquam, transfertur ex eo loco in quo proprium est, in eum in quo proprium deest, aut translatum proprio melius est.

Ubi fatendum ingenuè, necessitatem, ac propriarum vocum inopiam genuisse primò Metaphoras, licet tamen postea ac successu temporis, earum fuerit Continuatus, & frequenter in oratione adhibitus usus, non amplius inopiæ, sed delectationis, ornatusque gratiâ; ita ut quod de veste dicitur, eam primò repertam nuditatis tegendæ ac frigoris depellendi Causâ, nunc ad ornatum & dignitatem Corporis adhiberi, idem quoque possimus non inconcinnè de Metaphoris asserere.

Metaphorarum autem exempla ſunt ſequentia.

Prata, rident id eſt, amœna ſunt; O Lætas ſegetes,

Item cum dicimus, vitem gemmare, luxuriam eſſe in herbis,

Cum vocamus hominem incenſum irâ, inflammatum Cupiditate:

Cum Cicero pro Milone, vocat Clodium fontem ſuæ gloriæ, & alibi, ſegetem ac materiam.

Hæc etiam Metaphora in iis quoque Chriſti verbis habetur; hoc eſt Corpus meum, τὸ enim eſt ſecundum ſignificationem propriam ac nativam, ſignificat eſſe per ſubſtantiam, ſive eſſe ſubſtantialiter, ſed in prædictis Chriſti verbis, per Metaphoram mutatur ſignificatio nativa & naturalis τὸ eſt, in hanc impropriam ſcilicet ut ſignificet non per ſubſtantiam, ſed per ſignificationem.

CAPUT II.

De Synecdoche.

SEcundus poſt Metaphoram Tropus vocatur Synecdoche, in quâ per partem totum, vel per totum pars intelligitur.

Per partem intelligitur totum, ut per puppim, *navis*; *enſis*, per mucronem; *domus*, per tectum. Mucrones eorum à jugulis noſtris rejecimus. Ait *Cicero Cap. 3. de Orat.*

Per totum *Pars* declaratur. Ut apud *Virgilium Æneid.* 12. fontemque, ignemque ferebant.

Hoc etiam Tropo, ex uno plures ſignificantur, ſic Romanus prælio victor. Et *Virgilius ſecundo*

Æneid. Hostis habet muros. Synechoche igitur est cum pars nominatur & totum intelligitur, vel totum nominatur & pars duntaxat intelligitur, vel denique cum unius nomine plures indicantur.

Notate præterea, quod quando Continens nominatur, & Contentum intelligitur, est Synecdoche Continentis pro Contento, ut cum nominatur vas & vinum intelligitur, sic in his Christi verbis *lu. 22. v. 20.* hoc poculum est novum Testamentum in sanguine meo, habetur Rhetorica Synecdoche, ibi enim nominatur poculum & vinum intelligitur Contentum in poculo.

Caput III.

De Metonymia.

Metonymiam ut ait *Cic. in Orat. 39*, Rhetores hypallagen vocant. Est autem Tropus in quo vel nomen Causæ ponitur pro effecto, vel effectum pro Causâ, vel per signum intelligitur res signata.

Per Causas effecta declarantur, cùm inventor, aut alicujus rei author, pro re inventâ ponitur. Sic *Virg.*

Onerantque Canistris
Dona laboratæ Cereris.

Sic frequenter ponimus, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, pro eorum scriptis, ut cum dicitur, legi Platonem, Aristotelem, Demosthenem; *&c.*

Per effecta Causæ & Authores intelliguntur cùm τὸ Sacrilegium τὸ scelus ponitur pro Sacrilego,

pro ſcelerato, ſecundum hanc Figuram per id quod Continet, ſæpe etiam intelligitur id quod Continetur, ſic dicimus.

O bene moratas Urbes!
O ſæculum felix!

Sic Roma pro Romanis, Athenæ pro Athenienſibus.

Sæpe etiam per poſſeſſorem inſinuatur res quæ poſſidetur, ſic *Virg. Æneid* 2.

Jam proximus ardet
Ucalegon, id eſt Ucalegontis domus, item per ducem ſignificatur exercitus, ut cum ab Annibale apud Gannas Cæſa ſexaginta millia dicimus, id eſt ab ejus Copiis; tandem per ſignum indicatur res ſignata, unde τὸ toga pacis & otii inſigne, ponitur pro pace, & faſces uſurpantur pro Magiſtratu, ſic *Virgilius Georg.* 2.

Non illam populi faſces, non purpura regum
Flexit.

Caput IV.

De Antonomaſia.

Antonomaſia Tropus eſt in quo pro proprio nomine ponitur aliquid ſignificans nomen proprium, etiam ſi à nomine proprio ſit diviſum. Ut Everſor Carthaginis & Numantiæ pro Scipione.

Romanæ Eloquentiæ princeps pro Cicerone.
Princeps Philoſophorum pro Ariſtotele.
Filius Virginis pro *Christo*.

Caput V.

De Onomatopæia.

ONomatopæia secundum originem vocis deductam à τὸ ὄνομα id est nomen, & ποιέω id est facio, idem sonat ac nominis fictio sive effectio.

Græcis fuit usitatissimus hic Tropus, sed non sic latinis, licet tamen primi Latini Sermonis Authores, nonnulla etiam nomina per onamatopæiam finxerint, qualia sunt hæc magitus, balatus, sibilus, murmur, aliaque quàm plurima. At nunc rarò, nec nisi magna urgente necessitate, hac Onamatopæia uti debet Orator. Ne novorum verborum Usu novitatem nimis affectare videatur.

Caput VI.

De Catachresi.

CAtachresis, Latinis abusio, est quæ verbo simili & propinquo, pro certo & proprio abutitur, ut cum Patricida matris quoque & sororis interfector appellatur, unde Catachresis tunc fit quando nomen ex naturâ suâ rem aliquam non significans, illi tamen significandæ secundum usum receptum adaptatur. Nec solum talia verba usurpantur iis rebus significandis quæ nomen proprium non habent, sed etiam, iis quæ habent; sic dicitur

citur grandis oratio pro magna, minutus animu pro parvus, equum ædificant, perlegunt oculis &c. hoc autem inter catachresim & translationen intercedit discrimen, quod Catachresis sit Licen tior & audacior quam sit translatio, ac proind duo hi Tropi, & si aliquo modo similes, tamen i aliquo etiam diversi sunt.

CAPUT VII.

De Metalepsi.

Metalepsis Latine transumptio à μεταλαμβάν id est transumo, sic vocatur quia ex ali in aliud transfert animum auditoris, illi qua gradatim viam præstans, sic *Virg. Eclog* 1.

Post aliquot mea regna videns mirabar aristas ubi gradatim ab aristis ad spicas, à spicis ad sege tes, ab his ad æstates, ab æstatibus ad anno ascendit animus auditoris. Sic etiam idem poet primo *Æneid.* Libro ait.

Speluncisque abdidit atris.

Ubi per τὸ speluncis atris intelliguntur spelun cæ nigræ, Crassis videlicet ac obscuris tenebr Circumfusæ, ad extremum denique stupenda alti tudine depressæ. Tropus hic rarissimus est, nec no maxime improprius.

CAPUT VIII.

De Allegoria.

ALlegoria nihil aliud eſt quàm Continua metaphora, ubi enim quis proſequitur ſuam tranſlationem Continuo tenore, tunc ſermo fit allegoricus. In Allegoriâ autem hoc eſt inprimis obſervandum, ut quo genere tranſlationis ſive Metaphoræ cæpit orator, hoc eodem deſinat, unde cum initium à tempeſtate ſumpſimus, incendio aut ruinâ finire abſonum eſſet, ac inconcinnum; eſſet inquam inconſequentia rerum fœdiſſima. Illuſtre hoc exemplum habetur apud Ciceronem his verbis.

Quod fretum, quem Eurippum, tot motus, tamque varias habere creditis agitationes, Commutationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio Comitiorum, dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita, ſæpe perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam Commutat aura rumoris.

Allegoriæ cum ſint Metaphoræ Continuatæ, cumque Metophorarum natura in hoc conſiſtat, ut menti humanæ repræſentet rem aliquam, ſimilem rei quam verba Metaphoræ ad Literam exprimunt, ſequitur Allegorias eſſe repræſentationes quaſdam ac imagines rerum ſimilium.

Tales autem Allegorias etiam in Sacris Literis deprehendere ac ſectari, patribus familiariſſimum fuit, verbi gratiâ, viator ſpoliatus ac vulneratus ex mente quorundam patrum fuit primus homo. ſpoliatus & vulneratus; ſed de talibus Allegoriis in textu ſacro exiſtentibus, notate.

Primo

Primò, Quod Allegoriæ nihil probant, nam ex ſolo ſenſu Literali, non ex myſtico argumenta ſunt efficacia.

Secundò, Quod Allegoriæ non ex Legentis voluntate, ſed ex ſcribentis Authoritate & intentione ſint intellgendæ, ſic ſentit Hieronimus ſuper *Ca.* 4. *ad Gal.* Et Epiphanius ait verba dei non egent Allegoria, ſed potius judicio & ſpeculatione, ad cujuſque dicti ſcopum ſive argumentum perſpiciendum

Hîc adhuc obſervandum, quod *Allegoria* quæ eſt obſcurior, vocetur *ænigma*, ſed talis *Allegoria* à Rhetore procul abſit, cum enim dilucidè dicere ſit virtus, omnis obſcuritas vitium eſt, ac proinde ab ea ſummè debet cavere orator; ne tamen quid ſit *ænigma* ignoretur, paucis illud per tranſennam explico.

Ænigma, dicitur ab αἰνίζω vel αἰνίττω, id eſt obſcurè loquor & perplexè, ſic autem definitur à *Diomede* & *Donato*.

Ænigma eſt obſcura ſententia per occultam rerum ſimilitudinem explicata.

Ænigmata appellantur quoque *Gryphi*, licet ſubtiliter inter *Gryphum* & *Ænigma* diſtinguere nonnulli velint, quod ſcilicet *Ænigma* luſum tantùm habeat & jocum, *Gryphus* autem ſtudium ac curam, ſed hæc non magni eſt momenti diſtinctio.

Ingenioſum *Ænigma* eſt hoc de *Homine*.

Quodnam eſt Animal mane Quadrupes,
Meridie bipes, veſpere tripes?

Sic illud quoque de glacie quæ fit ex aqua, & ex qua iterum aqua naſcitur.

Mater me genuit, eadem mox gignitur a me.

Non ignobile etiam eſt illud *Ænigmatis* exemplum quod extat in 5. Libro *de Rep. Platonis*, nimirum.

Vir non vir percuſſit, non percuſſit, lapide non lapide, avem non avem, ſuper arbore non arbore.

Hoc

Hoc est. Eunuchus percussit pumice vespertilionem super sambuco.

Caput IX.

De Periphrasi.

Periphrasis Latinè *Circuitus* loquendi tunc fit, cum pluribus verbis explicatur id, quod uno aut paucioribus dici posset; poetis frequentissima; ut apud *Virg. Æneid.* 2.

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono divum gratissima serpit,
Etjam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt atris de montibus Umbræ.

Est etiam *Oratoribus* non rara, sæpe enim quoque quod significare brevius possent; Latius amplificationis & ornatus gratiâ expandunt.

Caput X.

De Hyperbato.

Hyperbaton sive ut Latinis placet, *Transgressio*, est *Tropus* qui verborum immutat ordinem, perversione aut transjectione. Immutat perversione, cum dicimus, *Mecum, Tecum, Secum, Nobiscum, Vobiscum,* vel ut *Virgilius* ait *Maria omnia circum.*

Immutat transjectione cum verba quæ Conjuncta

juncta esse deberent, ab invicem disjunguntur; ut cum ait *Cicero* pro *Clu.*

Animadvertite judices omnem accusationis orationem in duas divisam esse partes.

Hujusmodi transjectio dummodo rem non reddat obscuriorem, satis frequens debet esse oratori, non parùm enim gratiæ & ornatus habet.

Caput XI.

De Hyperbole.

Hyperbole latinis *Superjectio*, sive *Superlatio* est amplificatio quædam vel exaggeratio rei quæ discribitur, eâ utitur orator vel ad augendum, vel ad minuendum statum, naturam, vel quamlibet aliam qualitatem rei, quam describit, quod his Exemplis clarius patebit.

Gemini minantur
In Cælum Scopuli——deinde
Fulminis Ocyor alis.

Vides hic Hyperbole ad augendum uti Virgilium, primo enim exemplo mirificè exaggerat scopulorum altitudinem, ac si Cælo ipsi præ suâ essent formidabiles proceritate; secundo autem velocitatem cursus vel sagittæ, facta ad momentaneum quasi fulminis casum allusione, nobis veluti propemodo visui inperceptibilem, exprimit.

At proximo in exemplo eâ utitur ad minuendum cum ait --- *vix ossibus hærent.*

Illustri ad augendum Hyperbole utitur *Cicero* in *Antonium* his verbis.

Quæ Charybdis tam vorax, charibdin dico, quæ si fuit, fuit animal unum; Oceanus medius fidius

fidius vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam citò absorbere potuisse.

Hoc autem in *Hyperbole* observandum quod sive eâ utamur ad augendum, sive ad minuendum, mensura quædam servanda sit, licet enim omnis *Hyperbole*, sit extra fidem, non tamen debet esse extra modum.

Et hoc de secundâ *Rhetoricæ* parte, de Tropis scilicet, qui in uno existunt verbo, & oratoribus non debent esse ignoti nunc de Ornatu verborum conjunctorum, hoc est de ornatu qui in Continuatione verborum debet adhiberi, aptissimè possumus eloqui.

Rhetoricæ *Pars Tertia.*

De Figuris Verborum Conjunctorum.

Præfatio.

S*uas habet* Eloquentia *veneres, suosque lepores*, Figuras *vocant qui oratores, de quibus primum notandum occurrit, illas duplicis esse generis, sunt enim* Figuræ *verborum, & sunt* Figuræ *sententiarum; primæ licet non paris, ac secundæ, sint momenti, nec pari orationem splendore illustrent, tamen nec omittendæ sunt nec igno-*

ignorandæ oratori, quare eas inter, quæ sunt præcipui nominis, paucis quasdam sic astringo.

CAPUT PRIMUM.

De Figuris ut sic.

F*Igura* considerata ut sic sive in genere est certa Coloris & Lineamentorum in Corpore configuratio, vel naturalis, vel artificialis.

Naturalis Figura est quam cuique Corpori natura attribuit, ut Figura cæli, arborum, animalium.

Artificialis est quæ ab artifice introducitur, sic *aurifaber* in aurum introducit Figuram annuli vel poculi, *Ferrifaber* in ferrum aut chalybem Figuram gladii vel securis, *Sutor* Figuram calcei in corium, *Sartor* Figuram Thoracis in pannum, *&c.*

Boætius dicit *Figuram* esse rerum quandam circumscriptionem.

Sic etiam *Figura Syllogismi* est Confirmatio quædam Syllogismi secundum certum medii Termini situm, certosque qualitatis & quantitatis modos.

Ex quibus omnibus patet *Figuram Rhetoricam* esse quoque conformationem quandam Sententiæ, & veluti Configurationem, quæ *Figura* in hoc differt à *Tropo*, quod propriis verbis possit fieri, tum *Tropus* in impropriis Consistat.

Cum autem *Figuræ* sint quædam orationis integræ exornationes vel ornamenta, integraque oratio tùm verbis tùm Sententiis Constet, ideo duplex

plex quoque asseritur *Figurarum* genus; scilicet *Figuræ* verborum, & *Figuræ* Sententiarum.

Figuræ verborum ut & *Tropi* eæ sunt quæ in solis verbis existunt, fiunt autem variis modis, sed brevitatis studio, has duntaxat quæ præcipuæ sunt, & scitu magis necessariæ, placet subtexere.

CAPUT II.

De Figuris Verborum.

De Repetitione.

REpetitio est cum ab eodem verbo ducitur sæpius oratio, vel ut *Cicero* describit, *est ejusdem verbi crebra à primo repetitio* quod acriter & instanter fit. Exemplum suppeditat *Cicero* in *Catilinam* hoc modo.

Nihil agis, nihil moliris, quod ego non modo audiam; sed etiam videam, planeque Sentiam. —Idem contra *Rullum*.

Quid enim est tam populare quam pax? quà non modi ii quibus naturasensum dedit, sed etiam tecta, atque agri ipsi lætari videntur; quid tam populare quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam à bestiis; Expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis; quid tam populare quàm otium? quod ita jucundum est, ut vos & majores vestri, & fortissimus quisque vir, maximos labores Suscipiendos putet, ut aliquando in otio possit esse, præsertim cum imperio & dignitate.

Ad hujus Figuræ imitationem hanc proximam Construo.

Quid quæso hac in vitâ nobis debet esse charius, quid optabilius *Cælo* ? ubi labores omnes, infortunia quævis, quævis denique Calamitates (quibus hæc miseriarum vallis quasi pullulat & scatet) aberunt in æternùm, nunquam vel minimæ adfutura læsioni, incolis illius Cælestis *Jerusalem*. Quid quæso hac in vitâ nobis debet esse charius, quid optabilius *Cælo* ? ubi *Deus* suis præparavit Electis bona quæ nec oculus vidit unquam, nec auris audivit, nec mens potest humana pro eorum satis Concipere dignitate, quid quæso hac in vitâ nobis debet esse charius, quid optabilius *Cælo* ubi Throni Sceptra, Coronæ immarcessibilis gloriæ, ubi denique status omnium bonorum aggregatione perfectissimus æternâ eos afficient felicitate, qui illuc quasi properare studiosè Conantur virtutum viâ, ac religiosâ dei optimi maximi remuneratoris mandatorum observantiâ.

Sic Orator gallus per crebram ejusdem verbi repetitionem poterit orationem suam simili quoque ornare figurâ hunc in modum.

Qu'y a t-il de plus Souhaitable que le *Ciel* ? ou tous les travaux, miseres, & Calamités que l'on ressent sur la terre n'affligeront jamais les habitans de ce celeste lieu.

Qu'y a-t-il de plus Souhaitable que le *Ciel* ou *Dieu* reserve à ses esleus des biens que l'œil n'a point veû, ny l'oreille entendu & qui ne peuvent estre dignement Conceus de l'entendement de l'homme.

Qu'y a-t-il de plus Souhaitable que le *Paradis* ? ou les Thrones les Sceptres les Couronnes de gloire immarcessible attendent ceux qui s'y acheminent par la Crainte de *Dieu*, par l'observation de ses Commendements.

CAPUT

CAPUT III.

De Conversione.

Conversio est cum in idem verbum Convertitur sæpius oratio. Cujus figuræ tale nobis subministrat exemplum *Cicero* in *Antonium* his verbis. Doletis tres exercitus populi Romani interfectos, interfecit *Antonius*, desideratis clarissimos cives ereptos, eosq uoque eripuit vobis *Autonius*, authoritas hujus ordinis afflicta est, afflixit *Antonius.*

Ad hujus figuræ imitationem, sequentem poterit Rhetor efformare Conversionem de *Angliæ* restauratione, hoc modo.

Gaudetis tres potentes nationes pristinæ suæ Libertati restitutas. Eas restituit Sapientissimus ille militiæ Princeps *Georgius Monck.* —— Videtis tria ingentia regna Capiti suo iterum unita, ea quoque univit *Georgius Monck.*

Carolus Secundus principum omnium longè benignissimus, majorum suorum Throno inique dimotus, inhæreditarii Throni possessionem tandem aliquandò gloriosè evectus est, evexerit *Georgius Monk.* Addo & aliam.

Gaudetis videre electos *Dei*, fœderis gratiæ asseclas, peccati mancipio, legis Maledictione, mortis æternæ reatu, nec non dæmonis tyrannide Liberos, eos Liberavit unigentitus ille *Dei*, fidelium apud patrem sponsor, *Christus* Θεάνθρωπος.

Ira *æterni judicis* erga peccatores tot tantarumque legis divinæ transgressionum reos, prorsus sedata est, eam quoque Sedavit unigenitus ille *Dei*, fidelium apud *Patrem* sponsor, *Christus* Θεάνθρωπος.

Reserata

Reserata est janua *Cæli*, viaque hominibus antea justè occlusa nunc patet fidelibus ad ineundam æternæ beatitudinis possessionem; eam reseravit unigenitus ille *Dei*, fidelium apud *Patrem* Sponsor *Christus* Θεάνθρωπος.

Addamus adhuc subsequentem gallico Conscriptam idiomate, ad præcedentis imitationem.

Vos Cœurs tressaillent de joye de voir les esleus de *dieu*, les fideles Croyants à *l'evangille* de grace, deliurez de la malediction de la Loy, de l'obligation à une Mort Eternelle, de l'esclavage du peché, & tyrannie du dicable, c'est *Jesus le Christ* & *l'oint de dieu* qui le sen a deliuré.

La Cholere du *pere eternel* contre eux a cause de leur pechez & transgressions est maintenant appaisée, c'est *Jesus le Christ*, & *l'oinct de dieu* qui l'a appaisé.

Laporte du *Ciel* pour entrer en la jouissance des biens eternels, des joyes qui sur passenr l'expression de toute langue humaine, & qui sont mesme au dessus de la Conception de nos entendements, cette porte disie leur est Ouverte, c'est *Jesus le Christ*, & *l'oinct de dieu* qui l'a ouvert.

CAPUT IV.

De Complexione.

COmplexio est quæ *Repetiitionem* & *Conversionem* Complectitur, ut ex hoc *Ciceroniano* patet exemplo; qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? *Carthaginenses*. Qui sunt qui crudele bellum

bellum in *Italia* gesserunt? *Carthaginenses*. Qui sunt qui *Italiam* deformaverunt? *Carthaginenses*. Qui sunt qui sibi postulant ignosci? *Carthaginenses*.

Sic idem *Cicero* pro lege agraria. ——

Quis Legem tulit? *Rullus*. Quis majorem Populi, Partem suffragiis privavit? *Rullus*, quis Comitiis præfuit? idem *Rullus* ad horum autem exemplorum formam, sic etiam quaslibet complexiones Construere poterit Orator in hunc modum,

Quis est qui *Angliæ* misere laceratæ pristinum, restituit statum? *Georgius Monk*. Quis est qui *Rebellionem* altis nixam radicibus, & quasi firmatam radicitus extirpavit? *Georgius Monk*. Quis est qui subditos ad justam debitamque *Principi* Legitimo præstandam obedientiam revocavit & induxit? *Georgius Monk*.

Subnecto aliam. —

Quis est qui nos ita dilexit, ut se ipsum morti ignominiosæ ac maledictæ, nostri causâ lubens exposuerit? *Christus unigenitus Dei*, quis est qui ul-ultrò descendit è sinu *Patris*, è Throno gloriæ ac Majestatis ut Pauperem humilem, ingloriam quasi modo, (si sic loqui liceat) in terra degeret vitam, Nostræ æternæ gloriæ ac salutis promovendæ gratia? *Christus unigenitus Dei*. Quis est qui nos *Legis* maledictione, ac subsequuturi perennis Cruciatus reatu suâ morte Liberatos, æternæ reddidit hæredes felicitatis, & municipes quasi cælestis *Jerusalem*? *Christus unigenitus Dei*.

Subtexamus exemplum gallicum.

Qui est ce qui nous a tant aymé, que de se donner Soy mesme a la mort pour nous? c'est *Christ* le *Fils de Dieu*. Qui est-ce qui est descendu du sein de Son *Pere*, de Son Palais de Gloire & de Majesté pour vivre pauvre, abject, mesprisé sur la *terre*, & mourir finalement de l'ignominieuse & mauditte mort de la *Croix*, a celle fin d'avancer le salut des

Hom-

Hommes, de nous procurer une vie, de nous esle-ver à une gloire immortelle? c'est *Christ le Fils de Dieu*. Qui est-ce qui apres nous avoir delivré de la malediction de la loy, de l'obligation aux peines eternelles de l'enfer, nous a acquis comme un droit de bourgeosie au *Ciel*, nous a faict ses Coheriters de toutes les benedictions & felicités cælestes? c'est *Christ le Fils de Dieu*.

Caput V.

De Conduplicatione.

Conduplicatio est verborum geminatio, quæ magnam interdum vim, at semper non vulgarem habet Leporem;

Verba autem geminantur modis pluribus, sed his præcipue, & magis eleganter.

Primus est cum idem verbum statim iteratum adjungitur præcedenti; ut observat *Cicero* in *Catalinam* invectiva tertia.

Vivis, & vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.

Secundus modus est, cum post aliquam interjectionem idem verbum repetitur — sic *Cicero*:

Bona miserum me! consumptis enim lachrymis, tamen infixus animo hæret dolor; bona inquam *CN. Pompeii* acerbissimæ voci subjecta præconis.

Ubi notandum quod interdum tota etiam sententia repetitur, sic *Cic.* in Verrem.

Quid *Cleomenes* facere potuit? non enim possum quemquam insimulare fallò, quid inquam *Cleomenes* magnopere facere potuit?

 H

Afri-

Hæc figura, ut patet, non adeo difficilis levi operâ potest à studiosis observari, usuque frequenti in suis Celebrari orationibus, proinde ad proximam pergo figuram.

Caput VI.

De Traductione.

TRaductio, est ejusdem verbi Crebius positi quædam distinctio, quæ facit, ut, licet idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendant aures auditoris, sed etiam Concinniorem reddat orationem, quod sequentibus innotescit Exemplis.

Qui nihil habet in vitâ jucundius vitâ, is cum virtute vitam non potest colere. —*Item.*
Eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiisset, at erat inimicus, ergo inimicum sic ulcisci voluit, ut ipse sibi reperiretur inimicus. —*Item.*

Divitias sine divitum esse, tu vero *virtutem* præfer divitiis, nam si voles divitias cum *virtute* Comparare, vix satis idoneæ tibi videbuntur divitiæ, quæ *virtutis* pedissequæ sint.

Vides quomodo in hac figura per varios Casus traducatur idem verbum, ut sæpius iteratum non tædiosam reddat orationem.

Ex hoc figuræ genere est & præterea hæc sequens quâ idem verbum diversas habens significationes repetitur ut —

Cur eam rem tam studiosè *Curas?* quæ multas tibi dabit *Curas.* —*Item.*

Amari

Amari jucundum eſt, ſi curetur ne quid inſi *amari*. --- *Item.*

Veniam ad te ſi mihi ſenatus det *veniam.*

CAPUT VII.

De Synonymiâ.

S*Ynonymia* eſt cum verba idem ſignificantia congregantur ſic *Cic.* in *Catilinam* invectiva prima.

Perge quò cepiſti, Egredere aliquando ex urbe, patent portæ, proficiſcere, & iterum *invectiva* ſecunda.

Abiit, exceſſit, erupit, evaſit.

CAPUT VIII.

De Gradatione.

G*Radatio* alio nomine vocatur clymax, & eſt figura Rhetorica quâ gradatim ſurſum verſus aſcenditur, & in quâ licet præcedens verbum proxime ſequenti jungatur illud repetendo ſed in alio caſu, nunquam tamen initium cum fine copulatur, id eſt, nunquam primum verbum repetitur in fine Sententiæ junctum cum ultimo verbo, in quo differt a *Sorite*, ut hoc *Ciceroniano* patet exemplo.

Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos Comparavit.

Sic etiam pro *Milone*.

Neque verò se *Populo* solùm, sed etiam *Senatui* Commisit, nec *Senatui* modo sed publicis præsidiis & armis, neque his tantùm sed etiam ejus potestati cui *Senatus* totam Rempublicam Commisit.

In hoc ultimo exemplo observa non repeti τὸ *nec publicis præsidiis & armis tantùm*, ea quod ista repetitio nimis duram & insuavem redderet orationem, & ideo, loco illorum verborum posuit Consultò *neque his tantum*. Quod artis oratoriæ Candidati in pari occasione debent quoque studiosè imitari evitandæ ingratæ auribus auditorum talis repetitionis gratiâ.

Hæc eadem figura etiam in *Sacris Literis* sæpe Conspicitur, & imprimis *Paulus* octavo ad *Rom. Cap. v.* 22 *&* 30. illustre habet gradationis exemplum hîc illud placet lectori subjicere.

Quos præcognovit, etiam præfinivit, quos verò præfinivit eos & vocavit, & quos vocavit eos etiam justificavit, & quos justificavit eos etiam glorificavit.

Tale quoque *Gradationis* exemplum nobis adhuc suppeditatur Secundæ *Petri Epistolæ Cap.* 1. *v.* 5, 6, *&* 7. hunc in modum.

Subministrate in fide vestrâ virtutem, in virtute autem scientiam, in scientiâ verò temperantiam, in temperantiâ autem patientiam, in patientiâ verò pietatem, in pietate autem fraternum amorem, in fraterno verò amore charitatem.

Hæc figura ut patet non vulgarem exigit artem, ideoque peculiarem Eloquentiæ studiosorum exposcit diligentiam quare in eorum gratiam & adminiculum hic sublequentem efformo gradationem de immensâ erga genus humanum *Christi* salvatoris nostri charitate, his verbis.

Christus

Christus æternum Dei verbum, ac unigenitus filius, Electos *Patris* non dilexit solùm a jacto Mundi fundamento, sed insuper præstitutis à patre diebus, è cælo in terram descendit, ut suum erga nos immensum testaretur amorem, nec solummodo in terram descendere ipsi fuit satis, verùm ut descensus ratio mirum sui ergo homines amoris excessum indicaret, cum esset in forma *Dei*, non dedignatus est formam servi accipere, veram nimirum hominis induere naturam, nobisque in omnibus fieri similis excepto peccato, quod & adhuc parum ipsi visum est; qui enim ab æterno Θεὸς ac nunc factus Θεάνθρωπος voluit in terra degere non nostro duntaxat exemplo, sed & nostro quoque bono, voluit inquam degere humilem, despectam, pauperemque eousque vitam, ut licet vel ipsimet vulpes haberent foveas, ac aves cæli nidos, *Filio* tamen *Hominis* defuerit, ubi posset suum reclinare caput; verum nec despectus, nec pauper modo nostri causâ voluit esse, sed ingentes præterea exantlavit labores, factus fami, siti, doloribus, angustiis, persequutionibus obnoxius, fuit ipsis quoque quam sæpissime obvius; quæ omnia tandem Cruentâ obsignavit nece, utque nihil suæ erga *Patris* Electos constaret deesse charitati, è variis mortis generibus sibi elegit, voluitque inferri maledictam illam Crucis Mortem quibusvis aliis etiam atrocissimis non inferiorem doloribus ac pænis; Sed ignominia ac annexa ipsi maledictione, (*maledictus enim qui pendet in Ligno*) sed ignominia inquam ac maledictione omnium longe despicatissima, acerbissima, Sicque factus est reverâ maledictio, ut nos ab æterna illâ quæ pro peccatis justè nobis erat infligenda redimeret.

In gratiam *galli Lectoris* cum aliquas jam Gallico texuerim idiomate figuras; nullatenus mihi ducam tædio vel labori, unam adhuc ipsi suppeditare, his verbis.

Christ ne nous à pas ſeulement aymé dez la fondation du monde, mais au temps ordonné par *ſon Pere* il eſt venu du *Ciel* ſur la terre pour nous teſmoigner ſon amour; & ne s'eſt pas ſeulement Contenté de venir, ſur la terre, mais encore y eſtant venu, il y a veſcu pour nous en un eſtat humble, meſpriſé & pauvre, *mais que diſie* en un eſtat humble, meſpriſé & pauvre, il y a meſme voulu endurer des travaux tres ſenſibles, des fatigues tres penibles, & cequi eſt encore infiniment au deſſus, il ne s'eſt pas Contenté de ſouffrir ces travaux & fatigues, il a de plus voulu endurer la mort pour nous, & affin que rien ne manquat qui ſut neceſſaire a rendre plus evident l'amour qu'il nous portoit, la mort qu'il a voulu endurer pour nous, a eſté la mort mauditte de la *Croix*, ſe faiſant ainſy Malediction pour nous deliurer de celle qui nous eſtoit deûe pour nos pechez.

CAPUT IX.

De variis aliis Figurarum generibus Minoris licet, tamen non Ignobilis notæ.

SUnt & aliæ verborum *Figuræ* quæ fiunt per detractionem ſive omiſſionem alicujus verbi quod ſubauditur, quo genere *Figurarum* utimur brevitatis ſtudio.

Prima hujus generis *Figura* vocatur *Synecdoche* quæ tum fit, cum verbum ſubtrahitur, quod tamen ex Contextu orationis ſatis intelligitur; exemplum eſt hoc;

Stupere

Stupere gaudio *Grachus*, subintellige, cepit.

Secunda Figura vocatur *dissolutio* quæ tunc fit cum omissis Conjunctionibus plura dissolutè vel disjunctè dicuntur sic *Cicero* pro *Archia*.

Hæc studia adoloscentiam alunt, senectutem oblectant, Secundas res ornant, adversis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Tertia Figura est adjunctio quæ tum fit cum ad unum verbum in fine vel initio Sententiæ positum, plures referuntur sententiæ quarum una quæque si sola poneretur, verbum expresse requireret.

Verbum ponitur in initio hoc modo.

Vicit pudorem Libido, timorem audacia, Rationem amentia;

Ubi vides ad verbum præpositum *(vicit)* reliqua sequentia nomina referri, & ab illo regi.

Verbum ponitur in fine hoc modo.

Neque enim is es *Catalina*, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocaverit.

Nonnunquam etiam verbum ponitur in medio sententiæ hoc modo.

Formæ dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate.

Quod cum fit vocatur conjunctio.

Quarta Figura vocatur disjunctio, quæ tunc fit cum unaquæque sententia suum habet verbum, tale nobis Cicero subministrat exemplum pro Archiâ.

Me autem quid pudeat qui tot annos ita vivo, *Judices*, ut ab illis nullo me unquam tempore, aut Commodum aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit. Et in eadem oratione.

Homerum Colophonii Civem esse suum dicunt, *Chii* suum vendicant, *Salamini* repetunt, *Smirnæi* vero esse suum Confirmant.

Hic

Hic nota & quintam Figuram quæ vocatur *Synocheosis* & duas res diversas colligat hoc modo.

Tam deest *avaro* quod habet, quàm quod non habet.

Hæ Figuræ secundi generis licet non ita magni sint momenti, tamen earum nomina *Oratorem* latere non debent ac proinde eas breviter attigi, quod nemini tædiosum fore arbitror.

Inter tertii generis Figuras numeratur *Paronomasia* quæ secundum vim nominis, in quâdam vocum similitudine consistit, sitque vocibus aliquando contrariis, sed plerumque similibus, paribus, affinibus, desinentibus in eadem Constructione & similibus casibus, hoc est simili exitu, simili fine terminatis quarum quædam hîc duntaxat sine magno delectu (brevitatis amore) Coacervo exempla.

Si in hac calamitosâ famâ, quasi in aliquâ perniciosissimâ flammâ, *&c.*

Quod non par sim immensis tuis erga me beneficiis condignam referre gratiam, si culpa sit istius Culpæ Causam in te esse agnosce, & tibi ipsi ignosce.

Emit morte immortalitatem.

Hoc animo semper fui ut invidiam virtute partam, gloriam non invidiam putarem.

Non exigo ut immoriaris Legationi, immorare, hanc Reipublicæ pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi volebat.

Videre *Judices* utrum homini navo, an vano credere malitis?

Est idem Verres qui fuit semper ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum.

Et qui in his rebus non ita defendatur ut mediocris *Prætor*, sed ita laudetur ut optimus *Imperator*.

In

In quibus exemplis vides caſus & verba ſimiliter terminare ac deſinere, quod & in ſimilibus obſervandum eſt.

Reſtant & aliæ duæ *Figuræ* tertii generis quas ut nihil ſit omiſſum, hic breviter libet ſubjicere.

Prima vocatur *Contrapoſitum*, vel (ut quibuſdam placet) *Contentio*, *Cicero* vocat *Contrarium*, & Græci *Antitheton*, quale eſt hoc Exemplum.

Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia——Item.

Eſt enim hoc *Judices* non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus.

Hoc genus Figuræ veteribus fuit familiariſſimum, nec nunc quoque noſtris debet eſſe inſuetum oratoribus, non enim ſuo caret lepore, nec venuſtate.

Secunda *Figura Commutatio* dicitur, quæ tùm fit, cùm duæ Sententiæ ab invicem diverſæ ita annectuntur, ut ſecunda Contraria primæ, ab eâ quaſi oriatur, & dependeat in hunc modum.

Non ut edam vivo, ſed ut vivam edo. ——Item.

Si *Poema* Loquens *Pictura* eſt, *Pictura* tacitum *Poema* debet eſſe.

Et hæc de verborum *Figuris* dicta ſufficiant, pergamus nunc ad *Figuras* Sententiarum.

Pars Quarta

RHETORICÆ.

De Figuris Sententiarum.

Præfatio.

NEutiquam Rhetorem *latet ea quæ verborum inter, & Sententiarum Figuras occurrit differentia, nimirum quod verborum figuræ ea sint quæ in verbis duntaxat consistant ac terminentur: Figuræ verò sententiarum eæ sint quæ per integras spargantur ac quasi expatiantur sententias, quæque non in verbis sed ipsismet in rebus quandam habeant dignitatem, quandam gratiam. Unicuique etiam per quam notum est, verbis primùm, deinde Sententiis, quamlibet Constare Orationem; unde Methodico ordine sequitur, post ornatum verborum restare quoque nobis suo observandum ordine ornatum Sententiarum; qui ornatus cum præcipuè in Figuris existat,* de *Figuris Sententiarum pauca jam aggrediamur eloqui.*

CAPUT PRIMUM.

De Interrogatione.

INterrogatio Figura est quâ utimur non solùm sciscitandi vel inquirendi gratiâ, sed præcipuè instandi, adversarium premendi, & rem exaggerandi causâ. Illustre exemplum extat apud *Ciceronem* invectivâ primâ in *Catilinam* hoc modo.

Quousque tandem abutere catilina patientiâ nostrâ? quem ad finem tua sese jactabit effrænata audacia? patere tua consilia non sentis?

Quo exemplo vides insigniter rem exaggerari, & multo vehementiorem esse *Ciceronis* stylum, quàm si simpliciter dixisset, diu abuteris patientiâ nostrâ, *Catilina*, nimis dudum tua sese jactat audacia, & patent tua Consilia.

Non minus nobile nobis adhuc suppeditat exemplum, eâdem in eundem oratione his verbis.

An vero vir Amplissimus *Publius Scipio pontifex maximus Tyberium Grachum* mediocriter labefactantem statum *Reipublicæ* privatus interfecit?

Catilinam verò orbem terræ Cæde atque incendiis vastare Cupientem *nos Consules* perferremus?

Quâ interrogationis formulâ & usu quis non videt multò majoris energiæ longeque multo efficaciorem esse *Tullii Orationem*, quàm si hoc Stylo, (ut poterat) usus fuisset. Cum vir Amplissimus *Publius Scipio pontifex Maximus Tyberium Grachum* Mediocriter labefactantem statum *Reipublicæ* privatus interfecerit, *nos Consules* non debemus

mus perferre diutius *Catilinam* orbem terræ cæde atque incendiis vastare Cupientem.

Ad hujus Figuræ imitationem, hanc subsequentem placet Construere hoc modo de peccatoris ad maturam resipiscentiam Exhortatione.

Quousque tandem Longanimis *Dei* patientiâ tuis abutere facinoribus scelerate legum divinarum transgressor ? quem ad finem tua te culpæ innoxium jactabit audacia ? te inquam qui illicitum *Creaturæ* amorem, *Creatoris* dilectioni ac obsequio tantopere prætuleris ; Credisne si ante *æterni judicis* tribunal, protuleris qualdam decrepitæ vitæ reliquias ad normam divinæ legis quoquo modo exactas, credis ne inquam eas fore pares quæ tot tantaque facinora toto florentis ac vegetæ ætatis decursu perpetrata possint illicò expiare ?

An putas post elapsum in *Creaturarum* obsceno cultu totius vitæ Curriculum, Condignam fore expiationem ? si moribundi *animi* extremos halitus in tui *Creatoris* sinum, quâdam quasi ejaculatoriâ anteactæ vitæ Contritione Exhalaveris ? Si hoc existimas allucinaris omnino mihi crede *peccator*, non possum equidem tibi denegare exemplum unius qui ad *Christi* latera exhalaturus animam, in ipso (ut ita dicam) *inferni* Limine, nactus est *Cæli* ostium, ac eodem in illud ingressus est die, fideli mortis moribundi secum *Salvatoris* sibi applicatione ; hoc nobis dedit *Deus* exemplum, ne omni salutis ademptâ spe, unius exempli defectu, inducerentur in desperationem *Peccatores* agoniæ proximi ; Sed quod sciam unicum est, nec aliud in *Scripturâ* notatur, ne plurium prætextu, ex iis arriperent occasionem *iniqui*, suam in dies singulos procrastinandi resipiscentiam, sibique in illo *Die* promittendi *misericordiam*, quo nihil justè, nisi iram merentur & *vindictam* æterni ac justi *Judicis*.

Hâc

Hâc *Figurâ* sæpe quoque quod negari non potest, interrogationis formulâ exprimitur; quod majorem hæc formula habeat emphasim, majoremque vim exprimendi.

Hujusmodi exempla passim & frequenter obvia in orationibus, ac ideo tùm observatu, tùm imitatu per quàm facilia non immoror hic delineare.

Caput II.

De Subjectione.

Subjectio *Figura* est quâ *Orator* semet ipsum interrogans sibimet ipsi respondet, vel post alium interrogatum non ab eo expectat Responsum; sic *Cicero* pro *Ligario*.

Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum qui cum hoc sciret, tamen me antequam vidit, reipublicæ restituit.

Æternum *Dei* verbum, divinus humani generis apud Patrem Orator, hujus Figuræ illustrissimum nobis reliquit specimen *Matthæi Cap.* 11. *v.* 7. & sequentibus usque ad 11 inclusivè Hîc illud ad hujusce meæ ideæ decus ac ornamentum, eâ, quâ decet reverentiâ, subnecto. Audite igitur venerabundi loquentem humani generis *Salvatorem*.

Quid existis in desertum spectaturi? arundinem quæ agitetur vento? sed quid existis visuri? hominem mollibus vestibus amictum, ecce qui gerunt molles vestes, in domibus regum sunt; sed quid existis visuri? Prophetam? certè dico vobis, etiam amplius quàm Prophetam. Iste enim est de quo scriptum est, ecce ego mitto nuncium meum ante faciem

tuam,

tuam, qui preparabit viam tuam coram te. Amen dico vobis, non est suscitatus inter genitos è Mulieribus quisquam major Joanne-Baptistâ: sed qui est minimus in regno cælorum, major eo est.

Ad hanc quoque Figuram pertinent hæc alia *unigeniti patris æterni* verba quæ habentur, *Math. Cap.* 12. *v.* 48, 49. & 50.

Quæ est mea mater, & qui sunt frates mei? & protensâ manu suâ in discipulos suos dixit, ecce mater mea & fratres mei; quisquis enim fecerit, quod vult pater ille meus qui est in cælis, is est meus Frater, & Soror, & Mater.

Cum ad Romani imitationem oratoris hactenus non paucas construxerim figuras, hunc divinum venerabundè imitaturus Oratorem, sequentem hîc efformo his verbis subjectionem.

Quid Lucraris *Peccator* tot sceleribus vitam Labefactando? an famam, vel nomen aliquod? neutiquam sane famam sed Flammam, quâ in æternum nisi maturè te pænituerit, ac resipueris Cruciabere. An Sapis *ô homo* qui virtutis cum deberes studiosus esse assecla, gaudes volutari, fædissimæ instar suis in luto vitiorum? nullo modo sane sapis, sed prorsus deliras, prorsus desipis, qui momentaneam voluptatem adeo temere præferas & anteponas æternæ gehennæ ac nunquam desituris cruciatibus. Quid tandem Commodi, dic mihi quæso, quid tibi accidit utilitatis? ex eo (quem tot crebris actionibus Contraxisti) habitu jurandi fremende, mentiendi turpiter ad singula fere verba, ad quamlibet vel levissimam datam occasionem; hoc sane, & hoc duntaxat, (præter iram offensi veracis Dei, ac justè subsequuturam ejus iræ sententiam, nisi maturâ eam præveneris resspicentiâ) hoc inquam duntaxat lucraris peccator, ut ne quis tibi vel etiam jurato, cum veritatem loqueris, vix audeat fidem adhibere.

CAPUT

CAPUT III.

De Anteoccupatione.

ANteoccupatio sive ex *Quintiliano præsumptio* à Græco nomine πρόληψις, Figura est, quâ id quod objici potest, præassumitur, & sic adversarium prevenientes, contra ejus accusationem vel instantias præmunimus præviâ defensione auditorum animos, rem quæ objicii potest, vel minuendo, vel falsam penitus, & fictitiam demonstrando; magnâ curâ debent *Oratores* hancce figuram suis inserere Orationibus, ut pote quæ non delectet modo, sed & summæ sit utilitatis.

Cum per otium mihi non licuerit aliquod hujusce utilissimæ figuræ exemplar ex quopiam *Ciceroniano* decerpere loco, contexui ipsemet unum, quod his verbis hic vobis subministro.

Quî fit, ô *Homo*, quod tantopere torpeas in viâ *Virtutis*? unde torpedo illa? unde somnus iste, futurus brevi nisi maturè stimuletur plane Lethargicus? *virtutem* forsan tibi credis fore dedecori, quasi infra te esset religiosus palam apparere *piæ vitæ* cultor; ac *Mulierculis* solummodô, vel jam *Canis* ista decenter Conveniret *Hominibus* professio; sed procul à te absit tàm nefaria, tam odiosa *Deo* bonisque omnibus Cogitatio; quod enim decuit, *Christum* in terris degentem, cur illud tibi (quisquis sis) turpe ac indecorum existimares? te terret fortasse *virtutis* torvitas, horridam ac asperam illam intueris, nec non sine magnâ inaccessam difficultate, sed falleris omnino, virtus enim nequaquàm est aspera, nequaquam horrida,

 nec

nec difficilis, nihil illâ Suavius, nihil dulcius, facilius nihil si eam non solitariè & in se ipsâ, sed cum annexâ sibi *gloriæ immortalis* certâ promissione intuearis, si eam consideres quasi Certissimam viam ad *Cælestis Beatudinis* æternam fruitionem.

Verùm credis adhuc forsitan, seriam veræ *Pietatis* praxim quandam offundere tuæ menti tristitiam, quendam mærorem, quasi non possis veræ te dedere *Pietati*, quin illicò fias *Ecticæ* (ut ita dicam) præda *Melancholiæ*, quin illicò Promethei instar, rodatur Cor tuum anxiâ virtutis curâ & culturâ, non secus ac vulture quodam inexplebili; sed tali adhuc prorsus deciperis opinione, bona enim Conscientia ut regius scriptor ait, juge est Convivium, tantoque Spirituali gaudio piorum Cor implet, ut eorum quoque facies (quâdam quasi transfiguratione) tota serena niteat, tota coruscet, inclusi penitus in imis Cordis visceribus, *Cælestis gaudii* exuberantiâ. Num audivisti aliquando ipsis etiam mediis in tormentis gavisos esse quondam & exultasse *Evangelicæ veritatis* ac *virtutis* Constantes asseclas? si eos olim tostos igne, feris expositos, Equuleis tortos, sterquiliniis affixos, gladiis, securibus, exilio, inopiæ, omnibus denique cruciatuum ac miseriarum obnoxios genenceribus, *virtus* tamen expertes omnis servavit mæroris, expertes omnis angustiæ; an vereris ne tabescas angore, si nullo nunc imminente talium metu Cruciatuum, nullo incumbente tyrannorum terrore, enitaris pro virili abstinere à vitiis, ac virtuti sedulam navare operam.

CAPUT.

Caput IV.

De Communicatione.

Communicatio quæ est quædam quasi species dubitationis, Figura est, quâ ipsosmet adversarios Consulentes ab iis inquirimus quid in tali re fuisset agendum, ut hoc Ciceroniano patet exemplo.

Tu denique *Labiene* quid faceres tali in re ac tempore? cum ignaviæ ratio te in fugam atque latebras impelleret, improbitas & furor *Lucii Saturnini* in Capitolium arcesseret, Consules ad patriæ salutem ac libertatem vocarent, quam tandem authoritatem, quam vocem cujus sectam sequi, cujus imperio parere potissimùm velles?

Sic etiam aliquando hujus Figuræ operâ cum judicibus, & auditoribus ipsis quasi deliberamus, & inimus Consilium, ut fecit *Cato*. Si vos in eo loco essetis, quid aliud fecissetis?

Et *Cicero* prima in Verrem oratione.

Nunc ego judices jam vos Consulo, quid mihi faciendum putetis? id enim Consilii mihi profectò taciti dabitis, quod egomet mihi necessariò Capiendum intelligo.

Hæc Figura non vulgaris est leporis, prudenter tamen, nec non sine magno judicio eâ uti debet orator, ne artis ostentationi, vel nimiæ affectationi deditus appareat, sicque conciliet sibi odium potius quam auditorum benevolentiam, secundum tritum illud, omne affectatum odiosum.

CAPUT V.

De Deprecatione, Distributione, Execratione, Epiphonemate & Exclamatione.

HAs quinque Figuras sic breviter ordine perstringo, ac ideo unico insero capiti hoc modo.

Deprecatio sive *obsecratio* vel *obtestatio*, Figura est quâ opem alicujus imploramus, *Cicero* illustre habet exemplum oratione pro *Dejotaro* his verbis.

Quamobrem hoc nos primum metu *Ca. Cæsar* per fidem & Constantiam, & Clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiæ suspicemur; per dextram te istam oro, quam Regi *Dejotaro* hospes hospiti porrexisti, istam inquam dextram, non tam in bello & præliis quàm in promissis & fide firmiorem.

Distributio est Figura quâ virtutes sive qualitates Hominis amplificationis gratiâ enumerantur, & de eo per viam negationis vel alium afferendi modum prædicantur; mentione factâ ejus rei cui tales virtutes sive qualitates deserviunt, & postea prædictis virtutibus tali personæ inesse, per affirmationis viam demonstratis; cujus præbet exemplum *Rutilius* ex *Aristotele* in hunc modum.

Alexandro Macedoni neque in deliberando consilium, neque in Præliando virtus, neque in beneficio benignitas deerat; nam cum aliqua res dubia accidisset, apparebat Sapientissimus, cum

autem Confligendum esset cum hostibus; fortissimus; cum verò præmium dignis tribuendum, liberalissimus.

Execratio est quâ malum alicui precamur; sic *Cicero* pro *Dejotaro*.

Dii te perdant fugitive, ita non modò nequam & improbus, sed fatuus & amens es.

Epiphonema est acclamatio quædam, quæ fit ad finem alicujus rei narratæ, sic *Virgilius*.

Tantæ molis erat Romanam Condere gentem.

Exclamatio Figura est quæ Continet significationem cujusdam doloris aut indignationis, & fit per Compellationem vel Hominis, vel alterius cujuspiam rei; sic *Cicero* in *Antonium*.

O miserum me! Consumptis enim lachrymis; infixus tam pectori hæret dolor.

Et iterum contra *Rullum*.

O perturbatam rationem, & libidinem refrænandam; O consilia dissoluta atque perdita.

Sic idem in *Catilinam*.

O tempora! O mores! Senatus hoc intelligit, Consul videt, hic tamen vivit.

CAPUT. VI.

De Prosopopæia.

PRosopopæia est personarum ficta inductio vel repræsentatio, quâ Figurâ vel alios inter se, vel nosmetipsos cum aliis loquentes introducimus, quâque etiam mortuos quasi excitamus, & sermocinantes represèntamus; quin etiam urbes ipsæ & loca vocem per hanc Figuram accipiunt, cujus ir

rei exemplum illuſtre habet *Cicero* in hunc modum.

Etenim ſi mecum *Patria*, quæ mihi vita mea multò eſt Charior, ſi cuncta *Italia*, ſi omnis *Reſpublica* ſic loqueretur, *M.* Tulli quid agis, *&c.*

Et hinc patet *Proſopopæiæ* naturam in hoc conſiſtere ut perſonis ſive viventibus ſive mortuis, vel etiam locis & urbibus Sermocinatio aliqua tribuatur, ad cujus rei Majorem evidentiam placet hic Proſopopæiam efformare de *Polonia* hortante indigenas ſuos ad mutuam inter ſe Concordiam, ut unanimes facti, animosè ſe tueantur à *turcicâ invaſione*, ſicque pares quodammodo eſſe poſſint tam potentem ac formidabilem hoſtem à ſuis arcere mæniis ac laribus.

Quoſque tandem inveteratam illam fovebitis inter vos diſcordiam *invictiſſimi alias Polonici Throni proceres*? an cum Mortales ſitis, immortali inter vos gaudetis irâ? Si eam paulò diutius retinueritis, quid de vobis, quid de me fore putatis? an non miſeræ illius ſortis quæ tùm vobis tùm mihi imminet, Lugubre ſatis (proh dolor!) Senſimus ſpecimen à Semeſtri non amplius ſpatio? extant adhuc hîc & illîc rudera recentis vaſtationis, extant adhuc loca ſi non madentia, at ſaltem tincta ſanguine veſtratium, & alia ſcatent adhuc, ac fætent Cadaveribus occiſorum; adeo recens vulnus eſt! quod refricare dolor non ſineret niſi nos majori adhuc Calamitati proximos animadverterem; ob obſtinacem illum, ac penitus incluſum in imis veſtri Cordis viſceribus hoſtilem in invicem animum, eſt idem adhuc nobis, qui erat hoſtis, eſt eidem hoſti, eadem quoque quæ erat, inexplebilis ambitio, eadem mens nos funditus opprimendi, fortaſſe hôc (quo nunc vobis loquor) momento notat & deſignat, quas arces, quas urbes, quas Provincias intendit demoliri, obſidere, in ſuam redigere poteſtatem, fortaſſe jam jecit

aleam

aleam de totius *regni polonici* fato; quis ſcit num jam in viâ innumero ſtipatus Equitatu ad nos Laxis properet habenis? videtur jam mihi, noctis ſilentio tripudia, ac hinnitus equorum per venas & poros viſcerum ad tremulum uſque pectus reſonare; ad *Metropolim* eos concurrere horreſco, eamque jam prædæ ac internecioni deſtinaſſe; ut ſic capite ablato, reliquum corpus quaſi uno ictu exaniment; nunc autem an poteſtatis periculum illud à meo & veſtro propulſare capite? neutiquam ſane hoc erit vobis planè ἀδυνατον niſi depoſito protinus omni inter vos hoſtili animo, vires conjunctim opponatis tam formidabili inimico; *ah! liberam me inveniſtis*, ne patiamini me (vobis ſuperſtitibus) *durâ premi ſervitute*; quod à veſtrâ Solummodo mihi poſſum polliceri unione; omnes igitur unanimi mente prodite in Campum pro veſtræ Libertate patriæ quæ vobis vitâ veſtrâ multò charior eſſe debet, interim efficiam apud *Principes Chriſtianos*, ut quædam noſtræ calamitatis compaſſio, aliquod ab iis poſſit obtinere brevi ad vos tranſmittendum invamen.

Altera Proſopopæia *Poloniæ* auxilium rogantis *Reges* ac *Principes Chriſtianos*.

Ecce nunc ſupplex vos ſollicito *Sereniſſimi reges ac Principes orbis Chriſtiani*, ignota vobis proculdubio, hac lacerâ veſte, hoc cruento Corpore, his gravibus imbre Lachrymarum oculis; *Poloniæ* nomen gero, *Regnumque* inter nobiliſſima non ignobile, & vaſtiſſimis (audeo dicere) non multum inferius, intra meum Contineo ſinum, ſed nunc *O me miſerum!* in ipſis quoque viſceribus ſummè laceratum, quibusdam extremis ſuis truncatum membris, nuperâ communis *Chriſtiani nominis* hoſtis incurſione vobis haud dubiè non inauditâ; proximam adhuc, mihique jam imminentem timeo unam, & Exhorreſco, ipſi cum ſim omninò impar reſiſtere, tum aggreſſoris potentiâ, tùm non

 adhuc

adhuc penitus extinctâ domi mutua *procerum Regni* inter sese excandescentiâ; ideo suppliciter imploro *vestram potentiam*, ac enixè obtestor, ne maturi vestri auxilii defectu, sinatis adeò *famosam Europæ Regionem* in manus & potestatem Cadere jurati *omnium vestrum* (*quot quot estis*) hostis; erit profectò locus *vestræ gloriæ* maximus, (*Serenissimi Principes*) perturbato succurrere regno, erit non mediocre *vestræ* jam Clarissimæ *Famæ* incrementum, tam nobilem, tam populosam *gentem* ex inhiantis ipsi hostis servare, ac quasi eripere faucibus, ausim quoque dicere, salvâ vestrâ dignitate *Serenissimi Reges ac Principes*, ausim inquam dicere; Quod summæ etiam *vobis omnibus* erit utilitati, Metas quamprimùm figere *Ottomanno Monarchæ* qui æstuans angustis nimiæ ejus ambitioni, *Asiæ* ac *Africæ* limitibus jam in multas *Europæ* Plagas non ignobiles, trajecit pedem, unde profectò avidos sæpe retorquet oculos in alias omnes, etiam remotissimas.

Caput VII.

De Hypotyposi.

HYpotyposis *Figura* est non ignobilis; quam *Cicero* descriptionem appellat; est autem proposita quædam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videatur, quàm audiri. Vel est rerum quasi gerantur, sub aspectum pene subjectio, ut actione in *Verrem* Septimâ, habet *Cicero*, hoc modo.

Ipse

Ipſe inflammatus ſcelere ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore Crudelitas emicabat.

Aliam nobis ſuppeditat *Hypotypoſim Cicero* quarta in *Catilinam* oratione his verbis.

Videor enim mihi hanc *Urbem* videre, lucem orbis terrarum, arcem omnium gentium, ſubitò uno incendio *Concidentem*.

Hic notandum per *Hypotypoſim* non tantùm deſcribi quæ jam facta ſunt, aut actu fiunt, ſed ea etiam quæ futura ſunt, aut fore credebantur;

Ad hujus autem *Figuræ* inchoationem per quam appoſitæ ſunt hæ formulæ inchoandi.

Talia credite vos intueri.

Hæc non vidiſtis oculis, animis ſic cernere poteſtis.

CAPUT VIII.

De Ethopæia.

E*Thopæia* eſt vitæ ac morum alicujus perſonæ deſcriptio, quæ *Figura* non vulgare Orationis inſtrumentum eſt, & magnam vim habet tum ad conciliandos, tum etiam ad permovendos auditorum animos.

Exemplum habet *Cicero* oratione contra *Rullum* his verbis.

Ineunt tandem magiſtratus tribuni plebis, Concio tandem expectata *Publii Rulli*, quod & Princeps erat *agrariæ Legis*, & truculentius ſe gerebat quam cæteri, jam deſignatus, alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obo-

letiore,

letiore, corpore inculto & horrido, Capillatior quàm ante, barbâque majore, ut oculis & aspectu denuntiare *vim tribunitiam*, & minitari *Reipublicæ* videretur.

Hæc *Figura* licet *Hypotyposi* affinis, ab eâ tamen in hoc differt quod ad vitæ, & morum personæ descriptionem restricta sit, cum *Hypotyposis* pro munere habeat, res alias omnes cujuscunque sint generis, oculis descriptione quâdam subjicere.

CAPUT IX.

De Prætermissione.

PRætermissio vel ut vulgò dicitur *Præteritio*, à *Cicerone reticentia* vocatur, est autem Figura quâ dicimus nos vel præterire, vel nescire, vel nolle dicere, id quod tunc maximè dicimus, sic *Cicero* in *Rullum*.

Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ atque damni, prætermitto illa quæ nemo est, quin gravissimè & verissimè Conqueri possit, non Caput patrimonii publici pulcherrimum, populi Romani possessionem, subsidium annonæ, horreum belli, sub signo, claustrisque Reipublicæ positum, vectigal servare non potuisse; non dico hoc solum in Reipublicæ vectigal esse quod amissis aliis, remanet, intermissis autem quiescat, in pace niteat, in bello non obsolescat, militem sustineat, hostem non pertimescat, prætermitto omnem hanc orationem, & concinioni reservo; de periculo salutis ac libertatis loquor

Hujus *Figuræ* ideam quondam ipsemet dedi in quadam

quadam dedicatoriâ ad *Serenissimum hetruriæ principem* Epistolâ, cùm (quibusdam abhinc annis) nostri Britannici Monarchæ gloriosam inviseret aulam, hîc eam nunc placet annectere, iisdem quibus tunc formata fuit verbis.

Lubens igitur taceo *Serenissime Princeps* tot illustrium *Heroum* bellica facinora, sileo potentiam, non scrutor opulentissimas gazas auri & argenti *Serenissimi magni Ducis*, quæ tanquam tutamen & decus Patriæ, nervus belli, terror inimicorum, *illum* domi Subditorum delicias, foris hostis formidabilem efficiunt, omitto quam plurima alia præclarè gesta, qualia multi alii principes jactare haudquaquam possunt, prætereo *Cosmicam de Medicis familiam Romanæ sedi supremos Pontifices, Ecclesiæ Principes Cardinales Imperatoribus ac* Regibus *dignissimas sponsas* (feracissimæ instar stirpis) non semel impertivisse, ac ab ipsis quoque vicissim recepisse quod ut ne procul peterentur exempla, vestræ celsitudinis exemplo probare possem; placuit enim ipsi, Electione è *Regio Borboniorum genere, selectissimæ conjugis*, cum tribus Christiani Orbis Potentissimis regibus, (*Galliæ* videlicet, *Angliæ* & *Hispaniæ*) germanam ut vocant, hoc est, arctissimam Contrahere sanguinis cognationem. *Deus optimus Maximus* in illustri vestro Connubio talem foveat amoris copulam, ut nulla unquam sæcula parem (inter tam *illustres pares*) animadverterint.

CAPUT

CAPUT X.

De Sustentatione.

SUstentatio *Figura* perillustris est, quâ diu Suspenduntur auditorum animi, atque aliquid deinde inexpectatum subjungitur. In hoc enim hæc Consistet *Figura* quod cum diu suspenderit orator auditorum animos factâ enumeratione quorundam factorum, quæ ex tali, vel tali causâ evenire solent; subjiciat tandem factum aliquod aliis præcedentibus multò improbius.

Exemplum hic annecto de indulgentis nimium liberorum educationis infortunato ac infelici exitu, his verbis.

Quid quæso credis eventurum illis (quos adeo indulgenter educas) liberis, quibus tantopere parcis ut vel ipsius virgæ aspectus & nomen illis cuidam fore terrori verearis, cum pubertatis excesserint annos? eos forsan existimas fore solummodo monitoribus asperos ac refragantes cum tuis fuerint adeo assueti blanditiis; hoc parum est, credis fortasse eos gavisuros duntaxat equis, canibus, & aprici gramine Campi, ut dicit poeta, neglectis melioribus vitæ exercitiis: Sed hoc adhuc fere nihil opinaris futuros eos utilium tardos provisores, prodigos æris tuo labore ac sudore congesti, & hoc adhuc parum tibi fortasse promittis (cum ad virilem pervenerint ætatem) eos ultro ac pedentim relicturos ea omnia quorum puerilibus in annis contraxerunt nimia tua indulgentia habitum, ô nequaquam! Cerei cum fuerunt puerili ætate in vitia flecti, ea quasi solidissimo marmori impressa diutissimè retinebunt,

juxta illud poetæ, Quo fuit imbuta recens servabit odorem testa diu, sicque periculum est ne tales ad mortem usque perseverent quales eos educasti; sed nec adhuc hoc totum est, erunt enim prætérea tuorum præcordiorum quasi rapacissimi vultures, erunt tuæ senectuti Languori, erunt Mærori, quin immo tuorum etiam pertæsi annorum, exhalantis tuæ è corpore exitum impatientes expectabunt, & gaudentes audient; sed nec paternæ solummodo bonitatis læsæ reos se præstabunt, ipsimet adhuc patriæ erunt dedecori, erunt oneri, erunt detrimento, & multi nonnunquam fuerunt ruinæ, patent in historiis non pauca exempla; adeo verùm est eos qui non rectè erudiunt, ac instituunt liberos, non solùm liberis & sibi ipsis sed etiam Reipublicæ facere injuriam; Reipublicæ inquam cujus totum decus & firmamentum in ipsâ consistit liberorum Educatione.

Contrarium etiam sæpe hac figura observat orator, tunc videlicet cùm postquam expectationem alicujus rei gravissimæ concitavit, ad aliquid quod leve est, aut nullo modo criminosum descendit.

Et hæc de figuris sententiarum dicta sufficiant, quibus sedulam debet artis oratoriæ Candidatus navare operam, si aliquam in hac nobilissimâ arte velit famam adipisci, ac aliquod sibi acquirere nomen; non nisi fabricando fiunt fabri, & tantum scit homo, quantum operatur, putridus est omnis præceptorum apparatus sine exercitatione; ac ut dicitur in Scholis *merus Logicus merus Asinus*, hoc est, nunquam argutus evadet Logicus, nunquam subtilis fiet disputator qui vel Logicas solum audire lectiones, vel Logicos evolvere libros satis sibi credit esse, nulla publicæ Exercitationis, nulla crebræ in publico disputationis habitâ ratione vel curâ. Idem & de Rhetore potest asseri, solâ exercitatione & frequentium Periodorum tum Figurarum, tum integrarum & jam orationum

orationum constructione potest enitescere; splendescere, ac tandem insignem se reddere Oratorem.

Quinta RHETORICÆ *Pars.*

De Oratione Integrâ.

Præfatio.

Q*Uemadmodum partes omnes, natura saltem ordine sunt priores Composito, ideo jure sane meritissimo partium tractatio, Compositi tractationem debet præcedere; quâ motus ratione, in hac Eloquentiæ ideâ prius egi de Periodis, Tropis, Figuris quæ integrantes sunt Orationis integræ partes, nunc igitur suo ordine totam intueamur orationem, de qua hoc primò notandum quod ut oratio clarè, distinctè, ordinatè, & sine ullis superfluis tædiosisque procedat repetitionibus, Partes ipsi quatuor ascribuntur, in quas distribuenda est oratori, si eam apprime Elaboratam velit Conficere; eæ autem partes sunt* Exordium, narratio, Confirmatio & Peroratio

Narratio & Confirmatio *quæ sunt quasi Orationis integræ Corpus deserviunt instructioni auditorum,*

rum; declaratione nimirum, explicatione, & rei de qua agitur, de qua dubitatur probatione.

Exordium *verò &* Peroratio *quæ orationis integræ sunt veluti* extrema *&* termini *alios habent usus qui in earum patebunt tractatione.*

Caput Primum.

De Exordio in Communi.

EXordium quoddam est orationis quasi Prolegomenon, quædamque præfatiuncula, quâ Orator suorum auditorum animos idoneè præparat ac disponit ad reliquam orationem benignè attentèque audiendam, quod ut ab iis obtineat varia inducit Capita, quæ Captandæ illorum benevolentiæ & attentioni censet proficua, ea autem depromit vel à temporum, personarumque circumstantiis, vel a rei de quâ acturus est dignitate, excellentiâ, necessitate, aliisque adjunctis prout Oratoris judicio & Prudentiæ videbuntur ad rem conducere; hic enim ad nullam certam legem astringitur Orator, sed omnia ejus relinquntur arbitrio, ita ut prout ipsi visum fuerit, ad auditorum benevolentiam, attentionem, docilitatemque sibi Comparandam modò hoc, modo illo utatur argumento, quod proposito assequendo judicabit aptius, & Causarum sive Orationum varietati affinius.

Hic autem unum imprimis observet Orator debere eum scilicet in Exordio suæ Orationis breviter indicare naturam rei de quâ est acturus, necnon

non in certa dividere Capita quæcunque de eâ re vel causâ auditoribus proponere intendit, sic enim impeditur confusio quæ alias in Orationem irreperet, sic summa totius rei dilucidè ob oculos ponitur, sic denique non mediocriter juvatur auditorum memoria, quibus omnibus facile inducuntur ad docilem reliquæ Orationi præbendam attentionem. Licet autem ad captandam auditorum attentionem & benevolentiam non possit in genere ascribi oratori peculiaris quædam formula, tamen habitâ ratione ad hoc vel illud dicendi genus, potest & debet certo quopiam uti medio, exempli gratiâ in obscuro, abstruso & excelso dicendi genere debet auditoris Captare docilitatem spe perspicuæ explicationis, & fortis probationis, in causâ ancipiti, vel cuipiam obnoxiâ suspicioni conetur orator docilem reddere auditorem mentione per transennam factâ authoritatis & integritatis virorum qui tali subscribunt causæ, vel alterius cujuspiam Capitis quod infestum ejus judicium retineat, donec paulatim orationis decursu plane devincatur & in Oratoris Sententiam deducatur sensim sine sensu auditor.

Si denique apud fatigatos vel impatientes auditores oratori dicendum sit, brevitatis pollicitatione, ipsorum conetur levare tædium, & ad placatam attentionem disponere.

Cum autem in Exordio debeat orator æstimationem quandam, & sui Commendationem in auditorum excitare animis, ideo orationum Exordia debent, quantùm fieri potest, tum verbis, tum Sententiis Selectissimis instrui & procedere, hoc tamen summopere vitare conetur orator ne prolixè nimis & diffusè protrahat Exordium, cum enim illud sit in oratione Exordium quod vestibula & aditus sunt in ædibus ac templis, tali debet contineri ambitu qui cæteris orationis partibus summè sit impar, & longè inferior.

Et

Et hæc dicta sufficiant de Exordio in Communi, restat ut breviter quædam adjiciam quæ spectant ad exordium prout ad hoc vel illud dicendi genus pertinet.

Caput II.

De Exordio Respective ad varia dicendi genera.

PRimo igitur in genere judiciali ex ipsis visceribus Causæ a veteribus Oratoribus sumebantur quandoque Exordia, Exemplum nobis suppeditat Apostolus gentium ductus in areopagum eo quod Jesum annuncians, cujusdam peregrini Dei videretur esse annunciator, sic autem incipit actuum, 17. *Cap. v.* 22. Viri Athenienses omnino Conspicio vos quasi religiosiores, pertransiens enim & Contemplans sacra vestra, inveni etiam aram cui scriptum erat, ignoto Deo, quem ergo ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio, Deus ille, qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, cum sit Cæli & Terræ Dominus, in manufactis templis non habitat, nec manibus hominum colitur, alicujus rei egens cum ipse det omnibus vitam & halitum & omnia, *&c.*

Apostolus judæorum simile quoque nobis subministrat exemplum *Act. Ca.* 4. *v.* 2. Orans coram senioribus populi his verbis.

Quandoquidem de nobis hodie quæstio habetur super beneficio in hominem infirmum Collato, quomodo videlicet iste servatus sit, notum sit omnibu

nibus vobis, & toti populo Israelitico, per nomen Jesu Christi Nazaræni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit ex mortuis, per hoc inquam istum adstare sanum in vestro Conspectu, *&c.*

Secundò in ipsomet ingressu judicem sibi quoque aliquando Conciliabant, honorificâ mentione factâ illius integritatis, quâ innocentiam tuetur illæsam, a quâ læsi receptæ injuriæ rationem expostulantes, jus suum semper obtinuêre, quâ denique æqua & recta judicia incorruptè exercet, cujus rei illustre adhuc exemplum dedit Apostolus Paulus, *Act* 26. *Cap. v.* 2. & 3. Ubi causam defendens coram Rege Agrippa Exordium Apologiæ suæ sumit à persona judicis quem Commendat aperitiâ tum Ceremoniarum tùm quæstionum legis, quarum nomine in judicium ducebatur à judæis, sic autem loquitur.

Super omnibus de quibus postulor à judæis Rex Agrippa, beatum me duco quod sim hodie defensione apud te usurus, maximè quod te gnarum esse sciam omnium qui apud judæos sunt rituum & quæstionum, ideo rogo te ut me patiente animo audias.

Ubi etiam dignum est observatu, qualis sit Exordii clausula, supplex scilicet, directa ad judicem, ideo (inquit) rogo te ut me patiente animo audias. Quæ clausula ad benevolentiæ & attentionis captationem non parum conducit; rogari enim ne judicibus quidem grave est, sed suave. Nec etiam hanc civilitatis Legem pietas prohibet, sicut nec leges forenses excludunt pietatem, unde cùm Paulus in materiâ Religionis pro se ipso agens, adeo suppliciter judicis attentionem rogaverit, Oratorem etiam in causâ forensi agentem, divinæ gratiæ rogare auxilium nec dedecet, nec debet pudere.

Tertiò quod attinet ad naturam Exordii in genere tum demonstrativo, tùm deliberativo, licet

plera-

pleraque jam dicta illi etiam queant adaptari ad Captandam auditorum benevolentiam & docilem attentionem, in hoc tamen utroque dicendi genere notandum est, exordiorum naturam longe liberiorem esse; ea enim sumit Orator pro arbitrio vel à re quâpiam viciná & affini causæ de qua est acturus, vel etiam à quâlibet aliâ re causæ suæ absimili, & quasi procul petitâ, ita tamen ut antequam ad clausulam perveniat, Exordii sui discursum ad Causæ præsentis naturam accommodet, sicque sensim sine sensu redeat ad argumentum suum à quo in principio quasi aberrare videbatur.

Hoc adhuc hic notare operæ pretium est, nimirum in his duobus dicendi generibus non debere Oratorem adeo suppliciter agere, ac in genere judiciali, quia hîc non ut supplex ad judicem venit, sed ut hortator & quasi suasor auditores alloquitur.

Sed jam satis superque de Exordio, transeamus ad narrationem.

Caput III.

De Narratione.

N*Arratio* est rei de quâ tractandum est Expositio, & Applicatio, quæ primò ut intelligi possit ab auditore debet esse clara, distincta & perspicua, secundò ut eam facilius & memoriæ mandet, & memoria teneat auditor, debet esse brevis; tertiò ut illi fides adhibeatur oportet ut sit probabilis; & ideo his præcipue rebus in narratione sua stu-

studere debet orator, brevitati scilicet, perspicuitati, & probabilitati.

Erit autem brevis narratio si simplicibus constet verbis, si vitatâ prorsus omni inutili repetitione semel duntaxat unaquæque res dicatur, & recidantur omnia quibus sublatis neque cognitioni quicquam, neque utilitati detrahitur, non tamen inculta debet esse hæc brevitas, multò minus indocta, sed eam ornare conetur orator & frugali Elegantiâ & receptâ doctrinâ, sic enim Orator efficiet narrationem jucundam simul & suavem auditoribus suis, quâ narrationis jucunditate ac suavitate testatus est olim se vehementer delectari oratorum Princeps *Tullius*.

Erit perspicua, si verbis usitatis, si propriis, si ordine non interrupto narretur, si procul absit omnis Confusio, ita ut prima ultimis, media primis & ultimis concinnâ methodo cohæreant, nec non sua cuique loca tribuantur.

Erit denique probabilis, si personis, si temporibus, si locis ea quæ narrantur rectè consentiant, si res narrata quopiam alio muniatur præsidio, quale est tum ipsius oratoris probitas, tum etiam authoritas aliorum virorum qui ipsorummet auditorum judicio probantur ut fide dignissimi, & qui suffragio suo ratam habent rem narratam, ac illi favent, si denique nec legi humanæ, nec piis moribus, nec religioni adversetur; hæc enim omnia conciliant auditorum fidem, & horum præsidio munita cum est narratio, nulli non verosimilis primâ fronte facilè apparet.

Nunc vero quando utendum sit, aut non sit utendum narratione apprimè sciendum est, nam in genere judiciali cum notas re est, nec ullus in dubium revocat, quid gestum fuerit, nulla (ex necessitate) adhibenda est narratio, at verò tùm duntaxat adhiberi debet, cum ignota res est vel in se ipsâ vel in essentialibus quibusdam circumstanti-

 is

is, quarum recta notitia ad æquum ferendum judicium sit planè necessaria, utpote quæ rem, quæ dijudicanda proponitur, efficiant vel nocuam, vel innocuam. Itidem si adversarius prius narraverit, supervacanea etiam videtur iterata Narratio, nisi aliquid falsum, vel refutatione dignum suæ inseruerit Narrationi.

In exornatione vero vel genere demonstrativo, quod continet laudes vel vituperia personarum, vel statim ab Exordio vel si oratori visum fuerit non adeo immediatè post exordium adhibenda est narratio ejus rei quæ vel vitio vel laudi vertitur ei homini quem intendit orator vel laudare vel vituperare.

Tandem in genere deliberativo, sive suasorio narratio rarissimè adhiberi solet & ratio in promptu est, etenim narratio est rerum vel præteritarum vel præsentium declaratio, suasio autem quæ in genere deliberativo intenditur spectat ad res futuras quas faciendas aut suadet aut dissuadet auditori orator, & præterea ibi duntaxat exigitur narratio, ubi est ignorantia ejus rei quæ solet enarrri, ac proinde cum nemo ignoret id quod facere aut non facere ab oratore consulitur, sequitur sane in genere suasorio narratione nequaquam esse opus.

Occurrunt sæpe tamen non pauca ad genus deliberativum pertinentia, & ad suadendum maximè efficacia quæ enarrari non erit inutile, qualia sunt affinia rei quæ suadetur vel dissuadetur exempla, affines historiæ, earumque prosperi, aut è contra inauspicati eventus, multaque consimilia; & hæc de narratione dicta sufficiant, pergamus ad tertiam orationis partem quæ est confirmatio.

CAPUT IV.

De Confirmatione.

FRustra quidvis quis dicit, nisi ejus rei quam asserit fidem faciat, unde tritum illud apud juris peritos axioma, *allegata non probata nihil sunt* & hinc est quod narrationem semper immediatè sequitur probationum cohors, ut quod narratum est, ab auditoribus credatur; licet enim de veritate verissimè dici queat, *Probari res ipsa negat, contenta doceri, nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis, divitiis animosa suis*, quia tamen involuta veritas, & mendacium à non paucis dicitur, & quasi merum figmentum à mente humanâ ad incredulitatem propensissima rejicitur, ideo illius persuasio summum sane opus est, proindeque ad eam persuadendam præcipuam quoque mentis humanæ functionem, rationem videlicet adhibet orator, cujus functionis operâ quamprimum veritatem narravit, eam argumentorum, probationumque suarum præsidiis confirmat auditori, ac ideo tertia hæc orationis pars jure vocatur confirmatio, in gratiam & quasi subsidium veritatis involutæ, fereque periclitantis prodiens in Campum.

Unde patet Confirmationem esse eam orationis partem, quæ est narratæ veritatis quasi robur & firmamentum, sive in quâ ea quæ narrata fuerunt Confirmantur per argumentationes, probationes, testimonia, aliaque media quæ rei narratæ fidem faciunt, & auditoris assensum sibi conciliant, infirmantur etiam & refutantur in confirmatione ea quæ rei narratæ videntur contraria, &

for-

forsan impedirent quo minus fides ei ab auditoribus adhiberetur; non enim quæ narramus rectè confirmantur, nisi refutentur ea, quæ eis apparent repugnantia, idcirco in confirmatione conjuncta sunt rei narratæ probatio, & contradicentium argumentorum refutatio, utque orator muneri suo absolutè faciat satis, hoc utrumque debet implere, probare scilicet narrationem suam, & quas adversarii opponere possunt instantias refellere, quod ut dextrè faciat oportet prius oratorem *causæ statum* rectè intelligere.

Causæ autem status sive Constitutio, est illa quæstio vel res quæ Controvertitur, quamque orator intendit probare, & adversarius infirmare, (verbi gratiâ) unus accusat infortunatos illos geminos fratres batavos nuper tam Tragicè fato defunctos, quod conjuraverint in Reipublicæ interitum, quodque unus eorum *Principis Araucíaci* vitam attentaverit, sed orator longe propulsat illam accusationem, asseritque eos non conjurasse, ex quâ variâ tum accusatoris tùm oratoris opinione & quasi Conflictione nascitur, & in medio relinquitur utrùm *hi gemini fratres* Conjuraverint in interitum patriæ nec ne? & hoc est quod vocatur *Causæ status*, vel Constitutio; vel etiam *status questionis*, vel simpliciter *quæstio.* Vocatur status causæ quia in eo causa consistit, vocatur quæstio quia est id quod quæritur, ut conjuraverint ne illi fratres contra patriam, nec ne? insidiatus ne est unus eorum Principi Arausiaco, necne? fuit ne Nero Imperator an tyrannus? Papa estne Episcopus universalis an Romanus tantùm? &c.

Cognito sic ab oratore causæ vel quæstionis statu, omnes adhibeat vires ad rem narratam & controversam probandam efficaciter, nec non omnes adversarii instantias clarè ac validè refellendas, quod ut faciat, confirmet narrationem suam præsidio argumentorum omnium quæ rei narratæ possunt conciliare fidem auditorum. In

In producendis autem argumentis attendat & ponderet diligenter rectum ordinem, rectamque collocationem argumentorum, qui ordo hic est; ut firmissima quæ habet disponat tùm in primâ, tùm in extrémâ acie, si quæ habet mediocria, & non demonstrativa, in mediam turmam Conjiciat; exauthoret autem penitus & excludat à suâ confirmatione infirma quævis & vitiosa argumenta, utpote quæ veritati sint dedecori, sint detrimento potius, quàm emolumento ulli aut adjumento; dant enim adversario animum, dant vires, præbentque ansam obstrependi, ac insultandi veritati.

Nunc vero ea argumenta censentur firmissima, primò quæ sensibus percipiuntur, ut quæ videmus, audimus, deinde eaquæ Communi hominum opinione, atque Sententia sunt Comprobata, ut afficiendos esse honore parentes, Deum esse colendum, Regem honorandum, &c. tertiò quæ legibus cauta sunt, & quibus ne ipse quidem adversarius contradicit.

Inter hæc firmissima argumenta potest orator quædam probabilia inserere, ea enim est natura argumentorum probabilium ut rem per se dubiam reddant probabilem sive credibilem.

Hoc vobis subjicio exemplum de vi argumentorum probabilium.

Exortâ aliquâ seditione dubitatur de aliquo num fuerit seditionis conscius, dubium illud efficitur probabile tali argumento probabili. Qui æris alieni opprimuntur magnitudine, qui in rempublicam sunt non bene affecti, & formam regiminis indigne ferunt, ac vituperant, qui ingenio vehementi ac factioso præditi sunt, tales probabile est ad seditiones esse proclives, facileque annuunt se quarumlibet seditionum fieri Socios ac participes, talis hic est semperque fuit habitus, satis igitur credibile omnibus videri debet eum esse exortæ seditionis conscium ac reum.

Hæc

Hæc sunt argumenta tùm firmissima, tum probabilia, quibus debet orator in Causæ suæ narratæ præsidium texere Confirmationem suam, quæ propria sedes est argumentorum, ac proinde in quâ orationis parte hoc unum incumbit oratori, ad veritatis defensionem nec non probationem, ad devinciendam sibi auditorum fidem, hoc unum inquam incumbit oratori ut selectissimis argumentationibus expatietur, ac cum adversario suo quasi digladietur.

Est autem argumentatio artificiosa quædam argumenti expositio & explicatio, ut enim dialectici veritatem suam probant variorum argumentorum inductionibus, sic & oratores quoque, cum hâc tamen differentiâ, ut non tenuiter more dialecticorum proponant argumenta sua, sed copiosissime expoliant, atque artificiosè exponant, quæ artificiosa argumentorum expositio, cum ut jam supra dixi sit argumentatio; differamus hic enucleatè & succinctè de variis generibus ac modis argumentationis, oratoribus perinde ac Philosophis usitatis & maximè necessariis cum supradictâ tamen differentiâ.

Caput V.

De Syllogismo.

Ut affines scientiæ quibusdam solent convenire Capitibus, quæ ipsis ob affinitatem sunt Communia, idem Rhetoricæ & Logicæ cognatis artibus & aliquo modo subordinatis hîc videmus contingere, conveniunt enim multis, at præcipuè veritatis adminiculis, & quasi fulchris quæ sunt

varia

varia argumentandi, nec non veritatem probandi, confirmandique genera, quæ proinde oratoris, perinde ac Logici summè intereſt rectè noſce, & in promptu ſemper habere. Interea autem primum obtinet locum Syllogiſmus Latinè ratiocinatio.

Syllogiſmus autem eſt genus argumentationis, in quâ propoſitionum duarum duo termini ſic junguntur in aliquo tertio, ut neceſſe ſit eos eodem modo inter ſe conjungi. Exempli loco ſit hic Syllogiſmus.

Omnis proditor jure morte afficitur,
Clodius eſt proditor.
Ergo Clodius jure morte afficitur.

Hic in duabus propoſitionibus jure morte affici & Clodius inter ſe junguntur affirmativè in eo quod eſt proditorem eſſe, Ariſtoteles Rhetorum pater, æque ac Philoſophorum ſic Syllogiſmum definit, *Lib.* 1. *Prior. Cap.* 10.

Συλλόγισμός ἐστι λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι. Latinè.

Syllogiſmus eſt ratiocinatio in quâ poſitis quibusdam aliud quid neceſſario ſequitur, propter, ea quæ poſita ſunt.

Talis autem Syllogiſmus conſtat ex partibus & partium nexu.

Partes ſunt propoſitiones, numero tres, quarum prima vocatur major propoſitio, quia continet majus extremum & primo loco ponitur, ſecunda vocatur minor propoſitio, quia continet minus extremum, & ſecundo loco ponitur, unde vulgò dicitur ſubſumptio vel aſſumptio, quia ſub majori aſſumitur propoſitione, tertia propoſitio vocatur Concluſio, quia concludit & terminat Syllogiſmum, quam ob rem eam Græci vocant

cant συμπέρασμα à συμπεραίνω, id est termino. Duæ primæ propositiones vocantur præmissæ, quia ponuntur, ante conclusionem; tertia propositio vulgò dicta conclusio vocatur etiam aliquando illata, quia infertur & Colligitur ex duabus præmissis propositionibus.

Partium nexus in *Syllogismo* est legitima earum inter se dispositio, quæ oritur ex inventione medii, iste autem partium nexus & ordo, est forma *Syllogismi* & dicitur *bona Consequentia*, quæ est recta connexio omnium partium *Syllogismi*, in quâ nullum præceptum dialecticæ violatur, iste quoque nexus & ordo partium est anima totius *Syllogismi* ac proinde ut animâ remotâ immobile jacet corpus, sic in Syllogismo, distracto ordine, & sublatâ recta partium Connexione ac Copulatione, mancus omnino, & omnis expers facultatis remanet Syllogismus.

Sunt & alia quam plurima de Syllogismo dicenda, quæ brevitatis studium non me sinit hic attexere, cum insuper ad *Logicum* potius quàm ad *Oratorem* pertineant, itaque unicum hic adhuc subjicio, non debere scilicet Oratorem more dialectico Syllogismum tractare, nec in Pulpito argumentari Philosophi instar; sed Oratorio more sua argumenta proponere, quod ut observet, non tripartitam modo efficiat ratiocinationem suam ut Logicus efficit, sed tùm probationis, tùm ornationis gratiâ, quinque partium ambitu eam terminet in hunc modum, sit probandum *Mundum* consilio regi, propositio Major sic efformetur.

Nemo inficiari jure potest, ea melius gubernari quæ consilio geruntur, quam quæ sine consilio administrantur.

Deinde subjiciat talem probationem.

Is enim exercitus cui præpositus est sapiens imperator, omnibus partibus commodius sane regitur, quam is, qui imprudentiâ & temeritate cujuspiam inex-

inexperti ducis huc illuc inconſulto circumfer-tur;

Ponatur nunc aſſumptio.

Nihil autem omnium rerum quæ ſub cælo ſunt, & totius univerſi ambitu continentur, melius administratur ac regitur, quàm videmus nunc Mundum gubernari, & à memoria hominum accepimus ſemper gubernatum fuiſſe.

Adjungatur aſſumptionis probatio.

Signorum enim obitus & ortus definitum quendam ordinem ſervant, annuæ inſuper Commutationes non eodem duntaxat ſemper fiunt modo, verum ad utilitates quoque rerum omnium ita ſunt accommodatæ, ut nec abundantiæ nec varietatis reſpectu, quidquam mortales juſtè poſſint conqueri ſibi deeſſe.

Tandem Eliciatur concluſio hoc modo.

Conſilio igitur Mundum adminiſtrari quis neget? immo verò quis niſi omnis rationis expers & ratiocinationis prorſus incapax in dubium revocare audeat?

Et hæc eſt oratoria ratiocinatio longè profectò diverſa ab eâ quam conſtrueret *Logicus*, qui ſic in tali argumentationis datâ occaſione procederet.

Quæ optimè adminiſtrantur, ea conſilio gubernantur.

At nihil mundo melius adminiſtratur.

Ergo Mundus conſilio gubernatur.

Hæc Logica ratiocinatio tantùm tripartita eſt, ſive tribus ſolummodo conſtat propoſitionibus, cum Oratoria ratiocinatio quinque partita ſit, vel quinque includat propoſitiones. Pateat magis hæc differentia, ac illuſtretur adhuc alio exemplo.

Logicus & *Orator* probandum ſibi aſſumunt prudentiam eſſe expetendam, quod ſic *Logicus* probat.

Summopere virtus eſt expetenda.

At prudentia eſt virtus.

Ergo prudentia est summopere expetenda.

Sed idem longè diversò modo probat *Orator* his verbis.

Virtus semet ipsâ nulloque externo cultu ornata amabilis adeo semper & a singulis fuit judicata, ut eam nemo unquam ritè agnoverit, qui non summè expetendam censuerit; & jure sanè meritissimo; quid enim potest nobis esse optabilius virtute, utpote quæ non solum maximorum hâc in vita bonorum causa & origo sit, verum etiam ad cælestem beatitudinem, statum omnium bonorum aggregatione perfectum nos præparet, ac quasi viâ certissimâ ducat, at prudentiam virtutem esse apud omnes est in confesso, & quis amabo honorificam hanc virtutis appellationem denegaret prudentiæ? prudentiæ inquam, quæ non virtus duntaxat, sed aliarum virtutum quasi regina est, ea etenim omnes alias dirigit ac moderatur in accommodatione mediocritatis ad diversas circumstantias loci, temporis, & personarum. Per eam bona a malis distinguimus, & inter ipsa bona delectum habemus, per eam non solùm prævidemus quid fugiendum, quid eligendum sit, verùm etiam ad malum fugiendum, bonumque agendum inducimur, quo nomine eam habitum verum cum rectâ ratione activum definit Philosophorum Princeps Aristoteles, 16 *Eth. Ca.* 5. Constat igitur, nec denegari potest prudentiam præcipuum mentis humanæ ornamentum summopere Hominibus expetendam esse.

In hunc modum quod *Logicus* tribus Concisis propositionibus probaverat, magno diffusoque sermone, quinquepartitâ videlicet ratiocinatione probat Orator & hæc de Syllogismo, sequitur dilemma.

Caput VI.

De Dilemmate.

D*Ilemma* eſt ſpecies Syllogiſmi disjuncti, biformis, cujus disjunctione utrinque adverſarius ita Conſtringitur, ut ſive hoc neget ſive illud, elabi non poſſit, dicitur autem dilemma à *δὶς λαμβάνεσθαι* quia utrinque Capit & Conſtringit adverſarium, contra quem adducitur, *Cic.* 1. *Rhet.* vocat complexionem; complexio (inquit) eſt utrum utrum conceſſeris, convinceris in hunc modum.

Si victor manes, urbs tua erit; ſi victus, mitius tecum aget inimicus, eo quod urbi peperceris.

Dilemma vocatur aliter Syllogiſmus cornutus, quia utrinque velut Cornu ferit adverſarium, à nonnullis vocatur quoque Syllogiſmus Crocodolinus, quia Crocodilus, ſi eum ſequaris, ducit in Nilum; ſi fugias te ſequitur, & Comprehendit. Hoc genere argumentationis valde turbatur adverſarii animus quia rariſſime, nec non ſine magnâ difficultate ſe poteſt ab eo extricare, illuſtre nobis dat exemplum Tullius primâ in Catilinam oratione his verbis.

Nullo modo poſſum iiſdem parietibus tuto eſſe tecum, diſcede itaque, atque hunc mihi timorem eripe, ſi verus, ne opprimar, ſin falſus ut tandem aliquando timere deſinam.

Incarnatum Dei verbum, patientiæ ut & aliarum virtutum exemplar, Illuſtriſſimum dilemmatis exemplum nobis quoque reliquit, *Joan* 18. *Cap.* Ubi ſalvator ſæcus noſter ab uno è Mini-

ſtris Caiphæ Pontificis maximi, ſic illi monſtro ratiocinatus eſt.

Aut bene loquutus ſum aut malè; ſi bene cur me cædis? ſi malè, teſtare de malo.

Caput VII.

De Enthymemate.

Enthymema eſt Syllogiſmus imperfectus non mentis, ſed orationis tantum reſpectu, mente enim tres propoſitiones conſpiciuntur, licet orator ex his unam diſſimulet brevitatis gratiâ, itaque Enthymema eſt pars Syllogiſmi, vel eſt Syllogiſmus cujus altera præmiſſa, ſcilicet major ſive minor reticetur, ac proinde cum Syllogiſmus Logicus ſit tripartita ratiocinatio, enthymema eſt bipartita argumentatio, quæ bipartita argumentatio ideo vocatur enthymema quia in animo manet condita ea præmiſſa, quæ ſilentio eſt præterita, enthymema enim ſignificat celerem cogitationem. θυμὸς namque Græcis eſt animus, unde fit ἐνθυμέω vel ἐνθυμοῦμαι quod ſignificat animo verſo ſive colligo tacita cogitatione, unde τὸ enthymema impoſitum eſt huic bipartitæ argumentationi qua unam præmiſſarum omittens Logicus eam ſolummodo animo ſuo verſat ſive colligit tacitâ cogitatione brevitatis causâ, Exemplum enthymematis hoc eſt.

Omnis virtus eſt expetenda
Ergo expetenda eſt prudentia,

Prior

Prior propoſitio enthymematis vocatur antecedens, poſterior, quæ eſt concluſio, vocatur conſequens.

Enthymema reducitur ad Syllogiſmum perfectum addendo propoſitionem quæ deeſt, utra autem deſit major an minor, perſpicitur ex concluſione, nam ſi prædicatum concluſionis non apparet in antecedente, deeſt major, ſi ſubjectum non apparet, deeſt minor.

Hoc autem enthymemate frequenter admodum utuntur oratores, ideo illud Ariſtoteles vocat Syllogiſmum oratorium utpote oratoribus uſitatiſſimum, ubi obſervandum oratores ut Syllogiſmos, ſic & enthymemata quoque diverſo ab eo qui logicis eſt uſitatus modo contexere; ea enim poliunt, ea quàm maxime poſſunt, adornant tum figuris, tum verbis ſelectiſſimis; locuples enim & ſpecioſa vult eſſe Eloquentia etiam in argumentando, creditque quo fuerit uberior ejus argumentatio, quò ſubtilior, quò ſuavior, eò etiam fore credibiliorem, & majori dignam fide, & (ne mentiar) ita ſe res habet, veritas enim Eloquentiæ leporibus adornata potentius influit in auditorum animos.

Nunc autem Communior formula conſtruendi more oratorio enthymemata, eſt via interrogationis; Exemplum hic ſubjicio.

Quam quæſo credis tibi expetendam eſſe virtutem? ſi prudentiam virtutum omnium Reginam ac moderatricem adeo parvi pendis & ſugis.

Addo & aliud his verbis.

Cui alteri quæſo, cui alieno te fidum præbebis? ſi Deum Creatorem, & Largitorem omnium (quibus frueris) bonorum, tantâ afficis infidelitate.

Hæc duo Enthymemata ſic Logicus conſtrueret.
Prudentiam parvi pendis & ſugis.
Ergo nullam æſtimas nec expetis virtutem.

Deo es infidelis.
Ergo nulli fidus es.

CAPUT VIII.

De Inductione.

INductio aliud argumentationis genus non ignobile, ex Collectione singularium extruit universale; sive inductio est quâ ex pluribus aut singularibus vel etiam particularibus præmissis Colligitur universalis conclusio.

Est autem inductio instrumentum notificand aptissimum, quia ejus operâ, sensus noster procedit à singularibus ad generalia atque sic intellectui notificantur universalia, per singularia in sensus incurrentia;

Hujus inductionis summa est vis, & ejus conclusio inter alias omnes firmissima habetur, ideo vocatur ἐπαγωγὴ. id est quædam quasi coactio, eoquod præmissa singularium Collectione, invitat, inducit, & quodammodo cogit animum auditoris ad præbendum assensum (quasi velit, nolit) universali suæ sententiæ & conclusioni.

Hæc autem inductionis vis oritur ab enumeratione omnium singularium, æquivalet enim propositioni universali collectio singularium vel omnium, vel sane sufficienter enumeratorum. Licet autem non sit necesse, omnia particularia vel singularia enumerare, sed sæpe aliqua duntaxat sufficiat attulisse, tacitè tamen omnium singularium enumeratio subintelligitur; nec dissimile exemplum pos-

se afferri indicatur; unde hæc est formula solemnis in inductione, nec potest dari dissimile exemplum, ergo.

Hoc inductionis exemplum vulgò solet afferri.

Vinum Gallicum Calefacit, vinum Hispanicum Calefacit, Vinum Lusitanum Calefacit, Vinum Rhenanum Calefacit, Vinum Italicum Calefacit, Vinum Germanicum Calefacit, nec potest dari Exemplum alicujus Vini, quod non Calefaciat, ergo omne Vinum Calefacit.

Hoc argumentandi genere frequenter utebatur *Socrates*, qui floruit sub annum Mundi termillesimum quingentesimum, eodem fere tempore ac *Plato*, sed post *Pythagoram*.

CAPUT IX.

De Sorite.

SOrites est argumentatio in quâ aliquot propositiones Connectuntur eo ordine, ut semper præcedentis propositionis prædicatum sit subjectum subsequentis, donec tandem in Conclusione ultimum prædicatum addatur primæ propositionis subjecto. Ubi observandum tunc propriè *Soritem* esse, quando subjectum primæ propositionis in conclusione repetitur, in quo differt à *Climace* quæ est gradatio Rhetoricæ, in quâ non Copulatur initium cum fine, hoc est in quâ non repetitur in fine subjectum primæ propositionis ut fit in Sorite.

Illustre Soritis exemplum habetur in quinta Tusculanarum, ubi probatur hoc modo illud solum esse bonum, quod est honestum. Ete-

Etenim quidquid sit quod bonum sit, id est expetendum, quod autem expetendum, id certe approbandum, quod vero approbandum, id gratum acceptumque habendum, ergo etiam dignitas ei tribuenda est, bonum igitur omne laudabile, ex quo efficitur ut quod sit honestum, id sit solum bonum.

Ex prædictis nunc patet *Soritem* esse quandam Coacervationem & Congeriem multarum Connexarum propositionum, quod & ipsum nomen satis indicat, Sorites enim Græca vox est à τὸ σωρὸς, σωρὸς autem Latinis est acervus & Congeries, sicque *Sorites* acervalis Latinè posset denominari, ut ipsimet Ciceroni placet his verbis de Sorite loquenti in libris de divinatione. *Si necesse sit*, (inquit) Latino verbo liceat *Acervalem* appellare, sed nihil opus est, ut etenim ipsa *Phylosophia* & multa verba Græcorum, sic *Sorites* satis Latino sermone tritum est.

In *Sorite* autem non est certus numerus propositionum ut in *Syllogismo*, in quo tantum sunt tres; & in *Enthymemate* in quo tantum sunt duæ non plures nec pauciores.

Vis Consequentiæ in *Sorite* est legitima series generum & specierum in eodem rerum ordine, itemque Causarum & effectuum per se Cohærentium, unde vitiosi sunt Sorites cum Causæ per accidens conjunguntur cum effectis.

Quia à *Stoicis* primò putatur excogitatus *Sorites* ideo à quibusdam vocatur genus argumentandi Stoicum, in quo genere frequentes fuerunt *Stoici* & *Zeno* qui Stoicæ sectæ author & princeps fuit, sed maximè omnium hoc argumentandi genere delectatus dicitur *Chrysippus*.

Et hæc de his quinque argumentationis generibus pace ac veniâ *Phylosophorum* annotare volui, in hâc orationis parte tertiâ quæ dicitur *Confirmatio*; utpote in quâ & Oratorem & Phylosophum

præstare debet orator ad veritatem aliquando fortiter lacessitam, fortius tuendam. Quo fungi non posset feliciter munere, nisi prædicta hæc argumentandi genera ipsi sint ad manum nisique ipsa calleat validè opponere adversario ac iis fulcire veritatem, ideo nemini Ingratam navasse operam credidi ea hic pertransennam attigisse, neque eo quoque nomine credam mihi quemquem objecturum meam me in alienam messem injecisse falcem.

Caput X.

De Peroratione.

P*Eroratio* est extrema orationis pars, quâ vulgò oratores terminant orationem suam nisi ex abrupto desinere ipsis placeat, ut quibusdam tritum est ex abrupto incipere.

Hoc autèm perorationi cum *Exordiis* commune intercedit ut scilicet brevis sit, brevitate tamen suâ debet præcipua orationis membra in se Continere, auditorumque per transennam memoriæ iterum exponere: hic enim Concisè repetit orator, quod antea diffuse exposuerat, sicque iisdem quasi videtur desinere (quibus inceperat) orationis capititibus; quod non modicæ utilitatis esse, & ipsa experientia satis probat, ac præcipuorum quoque oratorum testatur judicium.

Et hinc est quod hæc ultima orationis pars à nonnullis vocetur recapitulatio, quia per Capita id est breviter exponit auditoribus, quæ ipsis antea am-

amplè & fusè subjuncta fuerant; per Capita verò sive breviter exponit, ne videatur altera esse oratio.

In *Peroratione* autem si usquam alibi in orationis Contextu, omnes affectus Concitare, & in eum finem omnes Eloquentiæ adhibere vires expedit, ut auditorem quem jam orator in suas fecit inclinare partes, penitus eas amplecti impellat, & gratâ quasi cogat violentiâ, quod tum oratoris, tum integræ ipsius orationis unicus fuit, & est Scopus.

Epilogus.

Epilogus.

ET hæc impresentiarum de hacce Eloquentiæ idea nec choro nec foro non inutili; est enim chorensis Eloquentia æque ac forensis, utrique hoc convenit, nimirum quod omnis Eloquentia, sive facultas ubivis differendi, sit effectus & quasi Creatura parta longo & assiduo labore doctrinæ, unde incassum tentabunt Oratoria opera, qui non profundam sibi prius peperint scientiam indefessis studiis, illamque quotidie foveant succo & substantia authorum magnæ famæ & eruditionis.

De utraque etiam notandum est, Oratoris authoritatem, magnum esse ejus Eloquentiæ firmamentum ac robur; immo præcipuum (ut ita dicam) ducem ad ipsi in auditorum corda parandum accessum, ibidemque conciliandum assensum & fidem, quæ authoritas licet donis fortunæ nonnunquam & apud quosdam

dam concilietur oratori ; præcipue tamen & magis ordinarie, integræ famæ ac vitæ probæ creatura est ; & ideo non differendo duntaxat debent imitari peritos artis oratoriæ studiosi, sed etiam vivendo æmulari probos, quod etsi utriusque Eloquentiæ candidatis conveniat & incumbat, sancti tamen Evangelii tubis ac præconibus omnino est necessarium, nisi velint (ut vulgo dicitur) aquam Cribo haurire, ac vita demoliri, quod Linguæ Ministerio ædificare intendunt, laborant. Labialis enim duntaxat Eloquentia in foro Conscientiæ vix quicquam nisi sonus est ; & præterea nihil, quique facunde differere solummodo norunt, nec pie vivere student, auditorum dominantur auribus, nequaquam Cordibus, titillant affectus, refocillant præcordia, sed non movent Conscientiam ; adeo verum est pravos hominum mores multo melius Corrigi, & ad amussim Divinæ Legis *redigi proba* Docentis *vita, quam aureo ejus vel serico* Stylo.

Itaque qui uberes ex hac Eloquentiæ Idea *fructus volet Carpere tum sibi tum*

aliis

aliis, fulciat eam & comitetur, primo bonis Moribus, deinde dirigat ad honorem & gloriam Authoris *omnis sapientiæ ac Eloquentiæ* Dei optimi Maximi, *fontis omnium ingenii dotum, cui omnes humanæ mentis facultates debent deservire, cui eas omnes debemus consecrare, cui tandem sit honor, Laus, Gloria, in totam æternitatem.*

FINIS.
